

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0001-6

B. 452a

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0002-2

71

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0004-3

# MARTINI HANKII
DE
# SILESIORUM NOMINIBUS ANTIQUITATES.

*Additi ſunt tres INDICES.*

SIGILL. BIBLIOTHEC. UNIVERSIT. VRATISLAV. 1806

*LIPSIÆ,*

Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII,
Bibliopolæ Vratislavienſis:

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI,
M. DCCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0005-9

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0006-5

ILLUSTRI GENEROSOQUE

DOMINO

IOHANNI SIGISMUNDO

# HAUNOLDO,

EQUITI SILESIO,

RUHMBERGÆ DOMINO,

CÆSAREO CONSILIARIO,

CIVITATIS VRATISLAVIENSIS

PRÆSIDI,

REGII CASTRI NAMSLAVIENSIS

DIRECTORI:

OMNIS ERUDITIONIS ET VIRTUTIS

PROPENSISSIMO ÆSTIMATORI,

STATORI PERPETUO:



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0007-1

PATRIAM

INTRA PUBLICAS SENATORII COLLEGII CURAS

ET MULTIPLICIBUS, ET INGENUIS, ET SALUTARIBUS

CONSILIORUM OFFICIORUMQUE DOCUMENTIS

ULTRA DECENNIUM QUARTUM

FIDELITER ORNANTI, BEANTI FELICITER:

SIC

NOBILISSIMA SILESIORUM NOMINA

PRÆCLARIS MERITIS

APUD INDIGENAS ET EXTEROS AUGENTI,

APUD SEROS ETIAM POSTEROS AUCTURO,

IAM DIU COGNITUM NOMEN SUUM,

IN FAVORIS PECULIARIS PERSEVERANTIAM,

QUO AB ÆTATE PRIMA LÆTATUR,

COMMENDATURUS,

HOC DE SILESIORUM NOMINIBUS OPUSCULUM

OBSEQUIOSO VENERATIONIS AFFECTU

CONSECRAT

MARTINUS HANKIUS.

)( 2 PRÆ-

# PRÆFATIO ad LECTOREM.

SILESIORUM Amor, quem Patria mihi ſemper commendavit, me quidem jam olim juſſit Antiquitatum ad eam ſpectantium agere Scrutatorem, imo Scriptorem: hactenus tamen Otii, quô rariſſimè fruor, Tenuitas non permiſit, earum quoque fieri aut Diſpoſitorem, aut Editorem: niſi quod nuper VRATISLAVIENSES Eruditionis Propagatores, Chronologicis Tabulis, ab Anno CHRISTI M.D.XXV. ad M.Dcc. comprehenſos, in publicum emitti ſum paſſus.

Poſt illa, non nullis me ſimul & monentibus, & ſtimulantibus Cauſis annuens, ê Scriniis meis, plura Memorabilium, quæ diuturnus collegit Labor, Genera continentibus, de SILESIORUM NOMINIBUS Materiam in Or-

dinem ſub peculiaris Codicis redegi Formam. Is, quem intuendum LECTORIBUS Benevolis jam exhibeo, primum generatim recenſet Nomina Sileſiorum, per diſſimiles Literarum vel Additiones, vel Omiſſiones, vel Tranſpoſitiones, ad Indolem Lingvæ, partim Germanicæ, partim Slavicæ, nata, ſicut apud Latinos Autores inveniuntur. Poſtea ſpeciatim, unde Sileſiorum adeo varium Nomen Originem ſuam, cum Latinam, tum Germanicam, tum etiam Slavicam, id eſt, aut Polonicam, aut Bohemicam, ſeu conſecutum ſit, ſeu conſequi potuerit, exponit quamqve ſuis corroboratam & Rationibus, & Aſſeclis. Tandem oſtendit, quando ſit ortum Sileſiorum Nomen. Excludit extera Nomina, quæ Sileſios, quanquam revera Germanos, ideo Slavos, eosqve jam Polonos, jam Bohemos faciunt, quia Sileſii Slavis & Polonis, & Bohemis vicini, Societatem ſub

uno Regimine ſupremo cum Polonis quondam coluerunt, cum Bohemis adhuc colunt. Nam Sileſiorum talibus non tam Nominibus, quam Cognominibus explicandis reſervatus eſt alius Locus.

Eſt autem Liber hic non extra communis Utilitatis Spem concinnatus: quia Sileſiorum Rebus, citra Erroris Periculum cognoſcendis, ſervit evidentior diverſorum Nominum è Principiis ſuis Declaratio. Non enim tantum aut Terris, quibus adhærent, aut Sermonibus, quibus educantur, ſed Appellationibus etiam diſtinguuntur invicem Populi. Quare, cum Natio una pluribus indicari Verbis & poſſit & ſoleat, prudentes Hiſtoricos Cura ſubit, ne Vocabulorum ſeu Convenientiâ, ſeu Diſcrepantiâ decepti, vel producant ex unâ plures, vel in unam plures componant Gentes.

Cæterum hæ, quas de SILESIORUM NOMINIBUS repræſentamus, ANTIQUI-

QUITATES multa complectuntur, de quibus in Rerum Sileſiacarum Scriptoribus Clariſſimis, Ioachimo CURÆO, Nicolao HENELIO, Iacobo SCHICKFUSIO, Friderico LUCÆ nihil aut parum reperitur. Præterea ſimul & debebunt, & dabunt illis Lucem ANTIQUITATIBUS, quas pridem conſignavimus (proximè cum DEO publicandis) de SILESIORUM MAIORIBUS, ab Orbe condito ad Annum CHRISTI DL: quô Sileſios Imperio ſuo Slavi partim annexos, partim etiam ſubjectos reddiderunt.

Satis felix erit hoc de Sileſiorum Nominibus Opusculum, ſi quoddam Sileſiis non ademerit, quamvis non addiderit Nomen. Sed, quid plura? Non oderit NOMINA, quisquis amaverit RES SILESIORUM. Scribebam Vratislaviæ Sileſiorum, Die Februarii XV, Natali meo LXX, Anno CHRISTI M.DCCII.

# DE SILESIORUM NOMINIBUS *LIBER.*

## CAPUT I.

## NOMINUM, quibus SILESII denotantur, *RECENSIO.*

## QUADI, LYGII, ELYSII.

I.

SILESIORUM Terras primis Temporibus, quorum Antiquitates Indagatoribus obviæ ſunt, in GERMANIS poſſidebant SVEVI, cum QUADI, tum LYGII: quorum Pars ELYSII fuerunt. Sæculum igitur antiquum vel Quados, vel Lygios nuncupabat, quibus, in unam Gentem conſociatis, Ætas recentior, quantum perſpicere licet, prius ELYSIORUM, poſtea SILESIORUM Nomen impoſuit. His majorem attrahet Fidem noſter de Sileſiorum Majoribus, Liber.

II. Nomen autem Sileſiorum omnino genuinum quot quantisque Modis Sermo & Germanicus, & Slavicus, & utrivis reſpondentia Vocabula fingere ſolitus diſſimillimorum Autorum Latinus, in deteriorem Habitum mutaverit, monſtrat, quem ſubnectimus, Indicis Series: in quâ non ubique ſatis ex Nominibus, niſi ex Rebus, agnoſci poſſent SILESII.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0013-3

## LYSII.

III. Ricardus Bartholinus in Auſtriados, id eſt, de Bello Norico, Libro VIII. Verſu 541:

*Quæque colunt duri Borealia Teutones Armis*
*Litora, dicam acres, duroſque in Prælia Fratres,*
*Et nimium Pugnâ ſævos Elvonas equeſtri,*
*Sarmaticis gelidus quos Viſtula ſeparat Agris.*
*Supra habitant LYSII, tortâque Hermundurus Haſtâ.*

Ubi Jacobus Spiegelius in Notis: *Lyſii nunc Sleſii.* Lib. XII, Verſu 904:

*Protinus ingreditur Campum delecta Iuventus:*
*Tres LYSII, duo Saxones.*

## LYSITÆ.

IV. Idem Bartholinus in Auſtriados Libro X. Verſu 602:

*Auxilio Princeps Lyſias, qui in Bella LYSITAS*
*Duxerat, unde ſuum retinet nunc Sleſia Nomen.*

## SCHLESII.

V. Henricus II. Sileſiorum Dux in Literis, Anno M. CCC. X. Glogoviæ ſcriptis: quas Andreas Gryphius in Glogovienſium Privilegiis edidit: *Nos Henricus, Dei Gratiâ Secundus, Heres Regni Poloniæ, Dux SCHLESIÆ, Dominus Glogoviæ & Poſnaniæ.* Gerlacus, Archiepiſcopus Moguntinus, in Literis Conjunctionem Sileſiæ cum Bohemia confirmantibus, Anno M. CCC. LV, Norinbergæ ſcriptis: ſicut eas Melchior Goldaſtus, non ſuis de Bohemia Commentariis, in Documentorum Additamentis, Num. XLVI, ſubjunxit: ſed Conſtitutionum Imperialium (Anno M. DC. LXXIII, iterum editarum) Tomo I. exhibet: *Inſignis Ducatus Vratislaviæ & SCHLESIÆ.* Paulo poſt: *In præmiſſo Ducatu Vratis lauienſi & SCHLESIÆ Terris.* Iterum poſt quædam: *Cum Illuſtri Domino Henrico VII, & ultimo Uratislauienſi & SCHLESIÆ Duce.* Ibidem SCHLESIÆ Nomen, pro quô tamen aliquoties SILESIÆ Vox immiſcetur, ſæpius repetitum invenitur. Johannes Nauclerus in Chronographia, Volumine II, Generatione XXVII ad A. C. 800: *Pomerania, SCHLESIA, Polonia.* Ioſephus Moletius in Notis ad Claudii Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap. XI: *Budorgis, SCHLESIÆ Caput, Vratislavia.*

SCHLE-

## SCHLESINGI.

VI. Caspar Urſinus Velius in Epigrammatibus ad Ioachimum Sileſiæ Ducem:

*Te colet ante alios ſemper SCHLESINGIA noſtra,*
*Cujus es in ſummis Gloria ſumma Viris.*

## SCHLESITÆ.

VII. Æneas Sylvius de Moribus Germanorum: (ſicut in cæteris ejus Operibus apud Baſileenſes Anno M. D LXXI, editis reperitur: nam in Simonis Schardii Rerum Germanicarum Scriptoribus, Tomo I, aliter diſpoſitum invenitur:) *Quicquid SCHLESITÆ ultra Oderam poſſident, Sarmatici quondam fuit Soli.* Sebaſtianus Munſterus in Coſmographia, Lib. III. de Germania, Cap. DIX: *Vratislauia, vulgo Presla, Caput SCHLESITICI Populi.*

## SCLESII.

VIII. Caſimirus, Polonorum Rex, in Literis, quibus ſuo in Sileſiam Iuri, quod Iohanni Bohemorum Regi cedit, renunciat, Anno 1339, Cracoviæ ſcriptis: non, ut eas Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronicon, ad Librum III, Cap. XVI: & Bohuslaus Balbinus ad Miſcellaneorum Bohemicorum Decadem I. Librum VIII, Volumen I, Partem I, Epiſtolâ XXXII: Sed, ut easdem Melchior Goldaſtus ad Commentariorum de Bohemorum Regno Appendicem, Documento XXVIII, retulit: *Boleslao Lignicenſi & Bregenſi, Henrico Saganenſi & Crosnenſi, Conrado Olſnenſi, Ioanne Stinavienſi, SCLESIÆ Ducibus.* Sigismundus Imperator in Decretis, Anno 1435, Poſonii conditis: quæ Melchior Goldaſtus Conſtitutionum Imperialium Tomo III indidit: *Sigismundus, Divina favente Clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comariæ Bulgariæque Rex: Archiprinceps Brandenburgenſis, SCLESIÆ & Lucemburgenſis Dux.* Æneas Sylvius in Hiſtoria de Europa, Cap. XXIV: *SCLESIA poſt Moraviam ſequitur.* Ibidem paulô poſt de Hungaria: *SCLESIÆ ad Orientem jungitur.* Iterum poſt quædam: *Duces SCLESIÆ multi admodum.* Cap. XXV: *Polonia vaſta Regio eſt, quæ SLESIÆ ad Orientem proximat.* Antonius Bonfinius de Rebus Hungaricis, Decade II, Libro VIII: *Ungaria, Cumania, Polonia, SCLESIA.*

## SCLESITÆ.

IX. Sebaſtianus Munſterus in Coſmographia, Lib. III, de Germaniæ, Cap. DIX: *Anno 1511, Vladislaus Pater, & Ludovicus Filius, Reges Ungariæ & Bohemiæ totum Tempus in Homagiis à SCLESITIS ſuſcipiendis abſumſere.*

## SELEUCI.

X. Johannes Henricus Cunradus in Proſopographia MSta: de Vincentio Cadlubco, Polonico Hiſtorico:

*Nomina corrumpit mirè: quos ille SELEUCOS*
*Dicit, Sileſios quis putet eſſe meos?*

## SILESIANI.

XI. Ioannes Longinus, Cognomento Polonis Dlugoſſus, aliis Duglosſus, in Hiſtoria Polonica, Tomo I, Lib. IV. ad A. C. 1109: *SILESIANORUM Militum Acies, quam in Subſidiis Boleslaus locaverat.*

## SILESIATÆ.

XII. Michael Neander in Orbis Geographia, de Regionibus Germaniæ Orientalibus: *Puellæ SILESIATICÆ.*

## SILESITÆ.

XIII. Sigismundus Auguſtus, Polonorum Rex, in Decretis, Anno 1550, conditis: apud Iacobum Priluſium de Provinciis Polonicis Capitulo XI: *Commiſſarii autem noſtri etiam diligenter curabunt, ut pro iis Damnis, quæ per communes Commiſſarios Sereniſſimi Regis Romanorum & noſtros in SILESITIS ſunt decreta, Hominibus noſtris Satisfactio juſta & competens impendatur.* Matthias Quadus in Geographicis Enarrationibus, Lib. IV. Cap. VII: de Marſignis: *Hunc SILESITARUM Tractum tenuere prope Niſſam Urbem.* Ibidem poſt quædam: *Cum Maravani ac SILESITÆ iisdem orientaliores ſint.* Iterum poſt quædam: *De SILESITIS tamen hæc ſunt, quæ Beatus Rhenanus refert.* Porro quibusdam interjectis: *SILESITÆ olim propriis ſuis Ducibus paruere.* Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. I. Cap. VI: *Schickfuſius SILESITICORUM Annalium Conditor.* Et Lib. IV. Parte I. § XLIII: *Conſulantur Rerum SILESITICARUM Scriptores.* Videatur § XIX: ubi SILESITAS, Literâ I omiſſâ, SLESITAS nominatos reperies.

SILUSI.

## SILUSI.

XIV. Caſpar Urſinus Velius in Epigrammatibus ad Ioachimum Sileſiæ Ducem:

*Barbara Sileſios vocitabat Lingua SILUSOS.*

## SIUSLI.

XV. Autor Annalium Fuldenſium de Francorum Rebus: quos in Petri Pithœi Rerum Francicarum Scriptoribus Anno M. D. XCIV: in Marquardi Freheri Germanicarum Rerum Scriptoribus Anno M. DC. XXIV: & in Andreæ Ducheſnii Francicarum Rerum Scriptoribus Anno M. DC. XXXVI editis reperimus: ad A. 869: *Sorabi & SIUSLI, junctis ſibi Beheimis.* Ibidem ad A. C. 877: *Sclavi, qui vocantur Linones & SIUSLI.* Chriſtophorus Colerus in Notis ad Taciti Germaniam, Cap. III: *In Annalibus Fuldenſibus Sorabos & SIUSLOS conjunctos invenimus: alibi etiam Linones & SIUSLOS. Quæ poſterior Vox, ſeu corrupta, ſeu integra ſit, Taciti ELYSIOS ſignificat. Quod ſi aliquis SLUISOS potius fuiſſe, quam SUISLOS velit, non repugnem. Nam ex SLUISIIS vel SLUISIS poſtea molliori, vel potius Latiniori Vocabulo procudere nobis SILESIOS.*

## SLESACI.

XVI. Caſpar Urſinus Velius in Epigrammatibus ad Ioachimum Sileſiæ Ducem:

*Sunt qui Sarmatico nos dicunt Ore SLESACOS.*

Videatur §. XXIII: ubi Sleſacos, Literâ S in Z mutata, *Slezacos* dictos invenies.

## SLESICII.

XVII. Laudatus Urſinus in iisdem Epigrammatibus, ad Ioachimum Sileſiæ Ducem:

*Et, qui SLESICIIS nobis dant Nomen, habentur.*

Videatur §. XXI: ubi *Sleſicios*, Literâ C in Z mutatâ, *Sleſizios* appellatos reperies.

## SLESII.

XVIII. Clemens IV, Pontifex Romanus, in Literis ad Archiepiſcopum Gneſnenſem Anno M. CC. LXVII, ſeptimo Calendas Aprilis, Viterbii ſcriptis: quas Laertius Cherubinus, ejusque Filius Angelus Cherubinus in Bullarii Magni Romani Tomo I. edidit: de Hedwige, quam ibi Sanctorum in Numerum retulit: §. X: *Cujus verò in Obitu quondam*

 *Henri-*

*Henrici Ducis SLESIÆ, unici Nati ſui Patientia fuerit, non eſt prætereundum Silentio.* Matthias, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Literis ad Sileſios Anno M. CCCC. XC. Viennæ ſcriptis: quas Andreas Gryphius in Glogovienſium Privilegiis edidit: *Fidelibus noſtris, Magnifico Georgio de Lapide, Locum tenenti noſtro in SLESIA, nec non univerſis.* Sigismundus, Sileſiæ Dux Oppavienſis & Glogovienſis, in Literis, Anno M. D. II, Glogoviæ ſcriptis, ibidem exſtantibus: *Sigismundus, Dei Gratia, ſereniſſimi olim Regis Poloniæ Natus, Dux in SLESIA.* Poſt quædam: *In Glogovia cæteriſque Ducatibus ſupra dictis inferioris SLESIÆ.* Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade X, Libro II: *Borealis eſt SLESIA Boemiæ & Germaniæ Finibus incluſa.* Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. XII: *Moderni Principes SLESIÆ.* Autor Inſcriptionis Vratislauienſis, Anno M. D. XXI, in S. Vincentii, quondam S. Iacobi Cœnobio: quam Simon Grunæus habet in Sileſiæ Monumentorum Periculis: *Anno D. 1240. fundatum eſt Monaſterium S. Iacobi per Inclitum Ducem SLESIÆ, D. Henricum II, Filium S. Hedwigis.* Conradus Celtes Lib. II, Amorum, Elegia V:

*SLESIA, quæ pulchris habet Oppida condita Muris.*

Franciscus Faber in Sabotho, Verſu 1097:

*SLESIA ſqualleret, nullas produceret Uvas.*

Paulus Dalecampius in Annotationibus ad Plinii Lib. IV. Cap. XIV: *Bojemi, Luſatii, SLESII, Moravi.*

## SLESITÆ.

XIX. Æneas Sylvius de Germanorum Moribus: *Ad Oderam Fluvium, quem plerique Germaniæ Sarmatiæque Terminum eſſe voluerunt, inſignis Eccleſia Vratislavienſis jacet, SLESITARUM Mater ac Regina.* Et in Hiſtoria Bohemica, Cap. I: *Ad Orientem vergens Latus Moravi obtinent & SLESITARUM Natio: Septentrionem iidem SLESITÆ.* Tranſtulit hæc in Vandaliam ſuam Albertus Krantzius Lib. I. Cap. IV. Hartmannus Scedelius in Norinbergenſi Chronico: *SLESITÆ ſub Imperio Bohemorum conſtituti ſunt.* Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade X. Libro IV: *Nec Moravi ſolum occidui ſunt Polonis, ſed Bohemi & SLESITÆ.* Melchior Soiterus de Bello Pannonico, Lib. II: [in Philippi Loniceri Turcicarum Rerum Scriptoribus Anno M. D. LXXVIII: & in Rerum Hungaricarum Scriptoribus Anno M. DC. editis:] de Turcis: *Impetivit illos primum Bohemorum atque SLESITARUM Equitatus.*

SLESI-

## SLESITANI.

XX. Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. III. Cap. IX: *Dux Boleslaus Aciem SLESITANORUM, quam uſque ad illud Tempus in Subſidiis reſervaverat, in Latus Cæſarianorum quam fortiſſimè induxit.*

## SLESIZII.

XXI. Uladislaus, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Decretis, Anno M. CCCC. LIV, Budæ conditis, quæ Melchior Goldaſtus in Conſtitutionum Imperialium Tomo III publicavit: *Wladislaus, Dei Gratia, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: Auſtriæque, SLESIZIÆ & Stiriæ Dux.* Videatur §. XVII: ubi *Sleſizios*, Literâ Z in C mutatâ, *Sleſicios* nominatos invenies.

## SLESSITÆ.

XXII. Andreas Althammerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, Cap. I: [ſicut ea Simon Schardius in Germanicarum Rerum Scriptoribus, Anno M. D. LXXIV, editis, Tomo I, exſtare voluit:] *Quicquid SLESSITÆ ultra Oderam poſſident.* Ibidem ad Cap. II: *Suciniz SLESSITARUM Oppidum.*

## SLEZACI.

XXIII. Martinus Cromerus in Polonica Hiſtoria, Lib. VI. ad Annum 1163: *Sileſii ſive SLEZACI.* Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. XV: *De SLEZACIS vel Sileſiis ex Dreſſero ipſa Verba annumerabo.* Videatur §. XVI: ubi *Slezacos*, Literâ Z in S mutatâ, *Slèſacos* dictos invenies.

## SLEZII.

XXIV. Carolus, Iohannis Bohemorum Regis Filius, in Privilegio, quod, antequam Rex Bohemiæ fieret, Sileſiæ Ducibus Bregenſibus & Lignicenſibus, Anno M. CCC. XLIII, contulit: Melchior Goldaſtus in ſuis de Bohemia Commentariis, inter Additamenta, Documentum XXX conſtituit: *Illuſtrem Principem, Dominum Boleslaum, Ducem SLEZIÆ, Dominum Bregenſem.* Ibidem poſt quædam: *Illuſtres Principes, Dominos Wenceslaum & Ludovicum, Duces SLEZIÆ, Dominos Lignicenſes.* Videatur §. XVIII: ubi *Slezios*, Literâ Z in S mutatâ, *Sleſios* appellatos reperies.

SUISO-

## SUISOLI.

XXV. Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. IV: *Bojemi Terminos Bojariæ incurſant, Pagos quosdam incendunt, Pecora, Mulieres captivas abigunt, Sorabes, SUISOLI Turogos vaſtant.*

## SUSI.

XXVI. Adamus, Bremenſis Canonicus, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. I, Cap. XXXI: [ſicut eam Erpoldus Lindenbrogius apud Lugdunenſes Batavos Anno M.D. XCV edidit: quemadmodum vero eandem Ioachimus Iohannes Maderus publicavit; Cap. XXXIV:] *Luthewicus Pius Cæſar magnus obiit. Ipſe Boemannos, Sorabos, SUSOS, & cæteros Slavorum Populos ita perdomuit, ut Tributarios efficeret.*

## SYLESII.

XXVII. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII, de Vratislao Bohemo: *Cum Boleslao, Poloniæ Rege, de Fœdere ineundo agit, illudque per inſtauratum tertio Matrimonium, Sorore Regis, cui Suatana Nomen, Uxore ducta, compoſitis prius quibusdam in SYLESIA Rebus confirmat. Locus monet, ut de hac ipſa SYLESIA, quæ jam pridem tota ſub Imperio Bojemorum conſtituta eſt, pauca dicamus.* Ibidem poſt quædam: *Hactenus de SYLESIA.* Autor Inſcriptionis in Sigillo Cæſaris Maximiliani II: quam Andreas Gryphius in Glogovienſium Privilegiis, ad Annum M. D. LXXVII, annotavit: *Maximilianus II. D. Gra. Imp. Sem. Aug. Ger. Hung. Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſt. Dux Burg. Mar. Mor. Lucem. ac SYLES. Dux.* Autor Inſcriptionis in Sigillo Cæſaris Ferdinandi III. quam ibidem reperimus ad annum M. DC. XXXVIII. *Ferdinandus III. D. G Ro. Imp. Semp. Aug. Hung. Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſt. Dux Burg. Mar. Mora. Lucem. ac SYLES. Dux.*

## SYLESITÆ.

XXVIII. Iohannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII: de Sileſiis: *Nunc SYLESITÆ vocari malunt, Patriamque SYLESIAM.*

## SYLLESII.

XXIX. Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis, Lib. V. ad A. C. 902: *Contra Polonos SYLLESIOS Marchia* Mysnenſis. Lib. VI. ad A. C. 1193: *Henricus ergo Quintus conjunctis Viribus cum Suatoplugo Rege Bohemiæ validiſſimas Copias contra Boleslaum in SYLLESIAM duxit.* Ibidem

ad

ad A. C. 1195: *Poloni, Meritorum Cazimiri Patris memores, Leſcum eligunt in Regem. Aderat quidem Mieſcus Senex, aderant SYLLESII & Opolienſes Duces, qui Iure quodam ſuo ad Principatum adſpirabant. Sed tantus Amor patricii Regis tunc cunctos tenebat Polonos, ut, non dicam Germanum aut Italum, ſed ne SYLLESIUM quidem, ac neque Mieſconem ex majori Polonia vellent eligere.*

XXX. Tot, & fortaſſis pluribus, quæ Diligentiam noſtram effugerint, Mutationibus obnoxium SILESIORUM Nomen, quod Literis, tum genuinis, tum alienis, partim omiſſis, partim additis, partim tranſpoſitis, ſeu per Ignorantiam, ſeu per Incuriam depravatum, uni Populo impoſitum reperitur, unde provenerit, patebit ex SILESIORUM NOMINIS, quas proferemus, Novem ORIGINIBUS.

# CAPUT II.

## ORIGO prima SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ SITU, *Latina, Polonica, Germanica.*

I.

SILESIORUM Nomen, ut in multiplices Formas convertitur, ſic â diverſiſſimis Rebus, tanquam Fontibus, intra Sermonem, cum Germanicum Indigenam, tum Latinum & Slavicum Advenas, derivatur.

II. SILESIA, ſicut etiamnum eſt, ita quondam [ etſi multô amplior ] fuit Germaniæ, ſi orientem Solem inſpicias, Terminus. Nam Flumen pro Limite, quô Germaniam â Sarmatia ſeparabat, olim habebat Viſtulam: & quô Germaniam à Polonia ſeparat, nunc habet Viadrum: niſi quod etiam ultra eum non contemnendam ſui Partem poſſidet. Hinc, quoniam Sileſia Finis, & quædam velut Porta eſt, per quam Amicis reſeratam concedatur, Hoſtibus obſeratam prohibeatur in Germaniam Aditus: nos triplicem Sileſiorum Nominis Originem, uno Fundamento ſubnixam, producemus.

## LATINA.

III. Primum Sileſia ideo, quia Germaniam claudit, Germaniæ *Clauſtrum* eſt. Hoc enim Vocabulo deſignatur Regionum Imperiorumque Finis, & quicquid eſt ultimum, Amnis, Mons, Urbs. Livius Lib. I. cap. XXXII: *Jam omnes Hetruriæ Populi, præter Aretinos, ad Arma ierant, ab oppugnando Sutrio, quæ Urbs Socia Romanis, velut CLAUSTRA Hetruriæ erat, ingens*

*erſi bellum.* Tacitus in Annalibus Lib. II. cap. LXI. §. 4. *Exin ventum Elephantinem ac Syenem, CLAUSTRA olim Romani Imperii.* Cicero in Oratione pro Flacco, Cap. XIII: *Illa eſt enim Gloria divina Pompeji, primum Prædones eos, qui tum, cum illi Bellum maritimum gerendum datum eſt, toto Mari diſperſi vagabantur, redactos eſſe omnes in Poteſtatem: deinde Syriam eſſe noſtram, Ciliciam teneri, Cyprum per Ptolemæum Regem nihil audere: præterea Cretam Metelli virtute eſſe noſtram: nihil eſſe, unde proficiſcantur: nihil, quo revertantur: omnes Sinus, Promontoria, Litora, Inſulas, Urbes maritimas, CLAUSTRIS Imperii noſtri contineri.*

IV. Deinde propter eandem Cauſam, Sileſia eſt Germaniæ *Clauſa*: quoniam Ætas id, quod vetuſtior *Clauſtrum*, recentior *Clauſam* nominat. Autor Chronici Marcianenſis Lib. II. cap. III. *Præmiſit aliquos ex ſuis Proceribus ad cuſtodiendas Francorum CLAUSAS.* Luitprandus, Ticinenſis Diaconus, Lib. V. Hiſtoriarum, Cap. VIII: *Præceperat enim Rex CLAUSARUM Cuſtodibus, ne quempiam tranſire permitterent.* Imperator Carolus IV. de vita ſua: *Et tranſivimus ulterius ſuper prædictum Comitem & devaſtavimus Terras ſuas usque CLAUSAM, quæ vocatur Lintz.*

V. Porro, ſecundum eandem Rationem, Sileſia eſt Germaniæ *Cluſa*: quoniam *Clauſa* etiam *Cluſa* dicitur Scriptoribus Imperatori Carolo Magno æqualibus, non tantum ab ejus Ævo remotioribus. Anonymus Autor in Caroli Magni Cæſaris Vita: [ Andreæ Ducheſnii Rerum Francicarum Scriptoribus, Tomo II: ] ad Annum 773: *Tunc ambo Exercitus ad CLAUSAS ſe conjunxerunt: ipſeque Deſiderius Domno Regi Karolo obviam venit. Tunc Rex Carolus una cum Francis Caſtra metatus eſt ad easdem CLUSAS, mittens Cohortem per Montana. Quod ſentiens Deſiderius, CLUSAS reliquit: ſicque Domnus Rex Karolus, auxiliante Deo, & beato Apoſtolo Petro intercedente, ſine Læſione aliqua vel Damno ſuorum per CLUSAS apertas Italiam introivit.* Anonymus Autor in Epiſcoporum Autiſſiodorenſium Hiſtoria [ quæ in Philippi Labbei Manuſcriptorum Bibliotheca, Tomo I. reperitur ] Cap. LIV: *Paratis igitur omnibus, quæ neceſſaria erant ſibi, aggreſſus eſt Iter propoſitum, tranſiens Montem Ciniſium, ad CLUSAS venit, & ibidem intellexit, Viam ſecuram non eſſe.* Fredegarius Scholaſticus in Chronico, Cap. CX: [ in Marquardi Freheri Rerum Francicarum Scriptoribus: ] *Rex Pipinus cum Exercitu ſuo, Monte Ciniſio transacto, usque ad CLUSAS, ubi Longobardi reſiſtere nitebantur, perveniens, ſtatim Franci, ſolito More, ut edocti erant, per Montes & Rupes erumpentes, in Regnum Aiſtulphi cum multa Ira & Furore intrant.* Autor Annalium Francicorum [ quos in Rerum Francicarum Scriptoribus Editor Marquardus Freherus quidem Benedictino Mona-

nacho aut Adelmo, aut Ademaro: Andreas Ducheſnius autem Eginhardo, Cæſaris Caroli Magni Notario, attribuit:] ad Annum 755: *Reſiſtentibus Longobardis, & Clauſtra Italiæ tuentibus, ad ipſas Montium Anguſtias, quas CLUSAS vocant, acerrime pugnatum eſt.* Ibidem ad Annum 817: *Nunciatum eſt ei, Bernhardum Nepotem ſuum Italiæ Regem quorundam pravorum Hominum Conſilio Tyrannidem meditatum, jam omnes Aditus, id eſt, CLUSAS, quibus in Italiam intratur, impoſitis firmaſſe Præſidiis.* Anaſtaſius Bibliothecarius de Pontificum Romanorum Vitis, in Stephano III: ad Annum 755: *Præmittens ante ſuum Occurſum aliquos ex ſuis Proceribus & cum eis exercituales Viros ad cuſtodiendum proprias Francorum CLUSAS.* Luitprandus, Ticinenſis Diaconus, Lib. I. Hiſtoriarum, Cap. II: de Hungarorum Gente: *Namque difficillimis ſeparata à nobis erat Interpoſitionibus, quas CLUSAS nominat Vulgus: ut neque ad Meridianam, neque ad Occidentalem Plagam exeundi habuerit Facultatem.*

VI. Præterea, ejusdem Conditionis Reſpectu, Sileſia eſt Germaniæ *Sluſa*: quoniam pro *Cluſa* reperitur *Sluſa*. Quô *Sluſæ*, quanquam non minus, quam *Cluſæ* Vocabulô, generatim quævis Extremitas continendis Rebus habilis, tamen ea ſpeciatim, per quam Aqua clauditur, denotari ſolet. Imperator Carolus Magnus in Lege Salica [quam, Anno 798, ſcribi juſſit] Titulo XXIV, de Furtis in Molino commiſſis, Cap. III: *Si quis SLUSAM de Farinario alieno ruperit, ſexcentis Denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.* Nam ibi, quamvis reperias in Legum antiquarum Codice, quem Baſilius Joannes Heroldus apud Baſileenſes, Anno M. D. LVII: & Fridericus Lindenbrogius apud Hamburgenſes, Anno M. DC. XIII. edidit: pro *Sluſam* ſcriptum *Scluſam*: tamen *Sluſam* legendum eſſe docet ipſe Lindenbrogius in ſuo ad easdem Leges Gloſſario: in quod *Sluſæ* non *Scluſæ* Vocabulum retulit, & quid in Lege Salica ſignificet, addidit. Accedit, quod Hermannus Nuenarius Comes in Narratione, quam de Francorum Origine ſcripſit, [Andreas Ducheſnius in Rerum Francicarum Scriptoribus ad Tomum II, Pariſiis Anno M. DC. XXXVI. editum, retulit] exponat, quidnam in eadem Lege, non *Scluſa*, ſed *Sluſa* ſit.

VII. Hinc etiam Urbs Flandriæ *Clauſtrum* dicitur *Sluſa*. De quâ Jacobus Marchantius Lib. I. de Flandria: *Traxit Originem Appellationis à Repagulo Aquas vel transmittente, vel refrenante, quaſi Sluta, à claudendo.* Petrus Montanus ad Petri Kærii Germaniam inferiorem: de Flandria: *Sluſa ſive Sluſæ (Clauſulæ Sigeberto) ut putat Lipſius, â Cataracte Nomen habet: quæ Flandris vocatur Sluys.* Johannes Iſacius Pontanus Lib. VI. Hiſtoriæ Gelricæ, ad Annum 1336: *SLUSAM & Cadſantum, quæ Clauſtra ſunt Flandriæ, hoſtiliter invaſit.*

VIII. Quæ cum ita ſint: habent, quô ſe tueri poſſint, à quibus SILESIA ideo, quia Germaniæ, cujus etiamnum eſt, jam olim SLUSA, id eſt, Finis, Nomen ſuum conſecuta creditur. Hujus Opinionis, neſcio, Autorem, an Propagatorem innuit Melchior Goldaſtus de Bohemiæ Regno, Lib. I. Cap. XIV. § 3: de Sileſia: *Non nemo ſic dictam putat, quaſi SLUSAM, à Latino Vocabulo CLUSA, id eſt, Schlus, vel noſtrate Dialecto, Schleus: quod Germaniam claudat, velut Præſtructura quædam ac Propugnaculum adverſus Sarmatarum & Tartarorum Irruptiones.* His Veſtigiis adhærens, ſi Gradum ſemper in proximum feceris, ut *Cluſam* in *Sluſam*, ſic *Sluſam* primum in *Sleſam*, poſt in *Sleſiam*, & tandem in *Sileſiam* convertes: unde formes *Sileſios*.

IX. Jam, concedentibus, *Sluſam* eſſe Fontem, ex quô *Sileſia* derivetur: eſt, cur in dubium vocetur, cujus Originis tum *Sluſa*, tum *Sileſia* ſit. Num Latinæ: quoniam Vox utraque Latinos habet Natales, ſi, mutato C in S, à *Cluſa* deſcendit *Sluſa*? Non habet, quô ſatis confirmari poſſit ea Conjectura, ſi, præter *Cluſam*, reperitur alterius Linguæ Nomen, à quo prius *Sluſa*, deinde *Sileſia*, deduci poſſit.

## POLONICA.

X. Sane *Clavis*, ut Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Originibus Lib. XX. Cap. XIII, explicat, dicta, quod *claudat* & aperiat, Populo Slavico, Polonis KLUCZ appellatur. Hinc etiam SLUSA derivari poteſt.

XI. Nam, primum K, &, quod ei reſpondet, C in S mutare, non inuſitatum eſt. Sic à *Mulcere Mulſum* eſt: ut Servius in Notis ad Virgilii Librum I. Æneidos, Verſum 70 indicat. Quem in Modum ex KLUCZ fiet SLUCZ.

XII. Porro, quia Literarum Multiplicatio, quæ Slavis admodum familiaris eſt, aliis leniori Sermoni ſtudentibus imminui ſolet: ſicut pro Czechus, abjectô aut C aut Z, Latinis aut Cechus, aut Zechus plerumque ſcribitur: ita, ſi C tollas, ex SLUCZ fiet SLUZ.

XIII. Præterea Z in S mutare, Latinis frequens, Germanis frequentiſſimum eſt. Ita Græcis ἀγάζω, Latinis eſt *Agaſo*. Ita Germanis antiquis *wazar faz*, pro *Waſerſas*: &, *fazzon* pro *faſſen*: &, *floz tharuz*, pro *flos darus*, ſeu *daraus*, dicebatur: quemadmodum dixit Otfridus in Evangeliis Lib. II. Cap. VIII. Verſu 53: Lib. IV. Cap. XVI. Verſu 29: Cap. XXXIII. Verſu 61. Hoc Pacto ſi Z in S convertas, ex SLUZ fiet SLUS: ex quô latine SLUSA prodibit: unde ſicut §. VI. oſtendimus, ad *Sileſios* tranſeas.

XIV. Quanquam vero nihil repugnat, quô minus *Sileſia*, velut quædam

dam Germanorum *Clavis*, cujus Ope Tranſitus in Germaniam Exteris pateat, Nomen hunc in Modum à Polonica Voce KLUCZ *Clavis*, obtinuiſſe videri poſſit: tamen quis non videt, multò crebrioribus Vocabuli KLUCZ, quam *Sluſæ*, in quod tandem *Klucz* convertitur, Mutationibus, pro Fundamento meras Conjecturas tenentibus, ad *Sileſiæ* Nomen fieri Progreſſum?

## GERMANICA. Prior.

XV. Nos, Sileſiorum Nominis Derivationi, tum ex Latino *Cluſa*, tum ex Polonico *KLUCZ*, unde *Sluſa* provenerit, parum tribuimus. Non tamen ideo Principium Appellationis, quâ Sileſii gaudent, â Sileſiæ Situ petitum, prorſus rejicimus. Etenim hoc, quibus probare placet, quemadmodum aliunde corroborari poſſit, perſpicimus.

XVI. Germani quondam Literas CH in Vocibus hodie adhiberi ſolitas omittebant. Dicebant enim *Snabel* pro *Schnabel*. Otfridus in Evangeliis Lib. I. Cap. XXV. Verſu 55: *Mit Snabulu:* id eſt, *mit dem Schnabel*. Præterea *Beſneidet* pro *Beſchneidet*. Idem Lib. III. Cap. XVI. Verſu 82: *Nir iu Kind biſnidet:* id eſt, *Nit ir euch* [das] *Kind beſchneidet*. Porro, *Snelle* pro *Schnelle*. Idem ad Ludovicum Orientalium Regnorum Regem: *Ludouuic ther Snello:* id eſt, *Ludwig der Schnelle*. Similem in Modum, *Suuert* pro *Schwert*. Wolfaramus Eſchelbachius in Melchioris Goldaſti ad Winsbekii Paræneſes Animadverſionibus, §. 20: *Schilt und Swert mit Eren:* id eſt, *Schild und Schwert mit Ehren*.

XVII. Parem in Modum Germani veteres, omiſsô CH, uſurpabant SL pro SCHL. Dicebant enim *Slaf* pro *Schlaf:* & *Slecht* pro *Schlecht*. Quin necdum quidam deſierunt ita loqui. Joannes Goropius Becanus in Hermathenis, Lib. VIII: *Hinc SCLECHT ſimplex*. Ibidem paulo poſt: *Nos SLECHT ſcribimus, ad molliorem Sonum, & pro Schlichten Slichten.*

XVIII. Nec eſt, ut ejusmodi Voces, quarum Pars *Sla, Sle, Sli, Slo, Slu* eſt, Ortu non Germanicas, ſed Slavicas eſſe contendas. Id quidem non diffitemur, eas Syllabas, tum antiquis, tum recentioribus Slavis admodum eſſe familiares: quod cuique Pannonum, Polonorum, Bohemorumque libros, patriâ Linguâ ſcriptos, intuenti, patet. Addimus etiam, Germanis poſt Annum Chriſti 550, quem Slavorum in Germaniam hoſtilis Adventus nobilitavit, multas Oris Slavici, tum Syllabas, tum Voces, in Sermonem patrium receptas: quis vero easdem, quamvis nec in Græcis, nec in Latinis Nominibus obvias, ita proprias Slavis oſtendet, ut in nullo, niſi Slavicam Originem conſecuto Verbo reperiri, credendum, ideoque ſtatuendum ſit, omnibus Populorum omnium Vocibus, quibus earum Syllabarum quædam ineſt,

pro Matre Linguam eſſe Slavicam? Quin habemus adhuc à Scriptoribus antiquiſſimis Germanicis Codices, Stylô Saxonicô, Francicô, Suevico, pro Temporibus illis elegante, compoſitos, aſperioris, quô Slavicus Sermo gaudet, Characteris, expertes: in quibus Literas SL, omiſſô CH, intra Syllabam unam conjunctas invenimus.

XIX. Etenim Saxones jam Anno 449, [priusquam Slavi Germaniam Anno 550 invaſerunt] in Angliam pervenerunt, quam poſtea totam ſuæ Nationis Regibus ibidem procreatis ſubjecerunt: quod, præter alios, Venerabilis Beda Lib. I. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Cap. XV. & Henricus Huntindonienſis [in Henrici Savilis Rerum Anglicarum Scriptoribus] Lib. II. Hiſtoriarum, ad Annum 449, tradunt. Inter hos Saxonum Occidentalium in Anglia Reges, Alfredus I. Imperium ab Anno 871 ad 900 geſſit: ut Simeon Dunelmenſis in Regum Anglorum geſtis [quæ Johannes Seldenus in Rerum Anglicarum Scriptoribus edidit] ad Annum 871, & 899: & Joannes Aſſer Menevenſis [Anno 909 mortuus: cujus Hiſtoriam Guilielmus Camdenus in Rerum Anglicarum Scriptoribus emiſit] de Alfredi I. Rebus, ad Annum 871 & 900 commemorat. Is Alfredus in Præfatione, quam Legibus ſuis præmiſit: [primum Abrahamus Whelocus apud Cantabrigienſes Anno 1644, ad Bedæ: poſtea Marcus Zuerius Boxhornius apud Lugdunenſes Batavos Anno 1650, ad Haymonis Hiſtoriam Eccleſiaſticam adjecit] dicit SLEA pro SLAE, id eſt, SCHLAGE, *percute*. §. V: *Ne SLEA du:* id eſt, *Nicht SCHLAGE du.* MANSLAG pro MANSCHLAG. §. XXV: *Gif deof brece Mannes Hus Nihtes, and wyrde dær OFSLÆGEN, ne ſy he na MANSLÆGES Scyldig, de him SLOGE. Gif he Syddan æfter Sunnan Upgong dis ded, he bid MANSLÆGES ſcyldig.* Id eſt, *So* (ein) *Dieb breche* (in eines) *Mannes Haus* (des) *Nachtes, und wurde der ERSCHLAGEN, nicht ſey er eines MANSCHLAGES ſchuldig, der ihn SCHLUGE. So er ſo dann nach der Sonnen Aufgang dieſes thæt, er iſt* [eines] *MANSCHLAGES ſchuldig.* SLEGE pro SCHLEGE: ipſarum Legum Cap. II: *Gif hine mon on dem Furſte geyflige, mid SLEGE, odde mit Bende, odde durch Wunde.* Id eſt, *So ihn* (ein) *Mann an der Zeit* (Fyrſte pro Fryſte) *verjaget mit SCHLEGEN, oder mit Banden, oder durch Wunden.*

XX. Præterea iisdem propemodum Temporibus, quibus Alfredus I. Anglo-Saxonum Rex vixit, ſub Imperatore Ludovico II. Cæſaris Lotharii Filio, Anno 870 ſuperſtes (ut Cap. VIII. §. 3. oſtendemus) Otfridus Waſſenburgenſis Monachus, qui Evangeliorum Libros quinque Rhythmo Francico ſcripſit. Huic etiam SL pro SCHL adhibetur. Dicit enim SLUZILA

pro

pro SCHLUSILA, id eſt, SCHLUSSEL, Lib. III. Cap. XIII. Verſu 70:

*Thir Uuilluh geban innan thes*
*SLUZILA Humiles.*

Id eſt: *Dir willich geben indes*
(Die) *SCHLUSSEL* (des) *Himmels.*

XXI. Tribus Sæculis poſt, peculiari Sermonis Germanici Culturâ fuit clarus, Friderici I. Cæſaris, Suevorum Ducis, Anno 1190 exſtincti, eruditus in Aula Miniſter Winsbekius, Eques Germanus, fortaſſis Svevus. Is uſurpat SLAG pro SCHLAG, in Parænesi ad Filium, Verſu 264: *Das iſt in einem Bach ein SLAG.* Præterea SLEGEL pro SCHLEGEL. Ibidem Verſu 352: *Ze Hus wirf ich den SLEGEL dir:* id eſt, *Zu Haus werf ich den SCHLEGEL dir.*

XXII. Hos Germanos, egregiis Monumentis celebres, quantô purioris, tantô pulchrioris patrii Sermonis, pro Ætate ſua, & ſtudioſiſſimos, & intelligentiſſimos, quo Argumento quisquam, non dicam convincat, ſed arguat Proprietatis ex Vocibus Slavicis admiſſæ, nondum penetrare poſſumus.

XXIII. Iam, quis dubitet, quin Germani Veteres, quos, ut §. XX. oſtendimus, SLUSSEL pro SCHLUSSEL dixiſſe conſtat, etiam SLUS pro SCHLUS dixerint? Quid autem proclivius eſt, quam ex Germanico SLUS facere Latinum SLUSA? Non igitur tam probabile videtur, ex Latino CLUSA, quam ex Germanico SLUS, Autoribus Latine ſcribentibus natum eſſe SLUSA.

XXIV. Cæterum, è SLUSA potuit, E aſſumtô, facile fieri SLEUSA: quoniam Germani quondam U in EU permutaverunt. Sic olim dicebatur FRUND pro FREUND. Winsbekius in Parænesi ad Filium, Verſu 62:

*Ahte uf die Zungelere niht,*
*Die zuuiſchen FRUNDEN werre tragen.*

Id eſt: *Achte auf die Zungen nicht,*
*Die zuuiſchen FREUNDEN verwirrung tragen.*

Ibidem Verſu 348:

*An diner wiſen FRUNDE Rat.*

Id eſt: *An deiner weiſen FREUNDE Raht.*

Item TRU pro TREU, & KUSCH pro KEUSCH. Idem ibidem Verſu 138:

– *So bis wolgezogen,*
*GETRUWE, milte, KUSCHE und Sleht.*

Id

Id eſt: *GETREUE, milde, KEUSCH und ſchlecht.*

Præterea LUTE pro LEUTE. Idem ibidem Verſu 595:

*Min eigen LUTE laſſe ich fri.*

Id eſt: *Mein eigen LEUTHE laſſe ich frey.*

Etiam HUTE pro HEUTE. Magiſter Spervogelius: in Melchioris Goldaſti Paræneticis, ad Winsbekium Animadverſionibus, §. 75:

*Es iſt HUTE min, morne din.*

Id eſt: *Es iſt HEUTE mein, morgen dein.*

XXV. Contra, U abjectô, etiam è SLEUSA potuit facillime fieri SLESA: quoniam Germani etiam EU in E permutaverunt. Id maxime Sileſiorum inter Agricolas Vulgo, ad priſcam Dialectum fideliter cuſtodiendam intento, uſitatum eſt. His enim dicitur HE pro HEU, Fœnum: & SPRE pro SPREU, Palea: & STRE pro STREU, ſtramen. Quem in Modum pro SLEUSA dicitur SLESA.

XXVI. Nunc à Germanico Vocabulo SLUS non difficilis eſt Tranſitus ad SLESINGORUM Nomen, quô SILESIOS, ad Germanici Sermonis Indolem, quidam deſignant. Etenim à Germanicô SLUS, in SLEUS & SLES mutatô, ut Latinum SLUSA, SLEUSA, SLESA provenit: ita Germanicum SLUSUNG, SLEUSUNG, SLESUNG deſcendit. Quæ Voces omnes Clauſulam Rei denotant. Pro SLESUNG autem quondam SLESING dicebatur: quia Germani Veteres U in I convertebant. Ita ex Germanico VERSUCH faciebant non tantum VERSUCHUNG, verum etiam VERSICHING. Matthæus Cap. VI. verſ. 13: Secundum Interpretationem Friſicam: quam Bonaventura Vulcanius in variarum Lingvarum Speciminibus exhibet: *In lied uus naet in VERSIEKING:* id eſt, *Und las uns nicht in VERSUCHUNG.*

XXVII. Ideo quibusdam è Latinis Autoribus, quemadmodum SILESIA dicitur vel SLESINGA, vel SCHLESINGA: Sic vocantur SILESII aut SLESINGI, aut SCHLESINGI: Germanicè aut SLESINGER, aut SCHLESINGER. Philippus Cluverius in Antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXI: *Quadorum ac Sileſiorum, quos Germani Die SLESINGER ſive SCHLESINGER vocant, Nomina eandem Rem ſignificare putant.*

XXVIII. Quamobrem magnæ Probabilitatis eſt, SILESIAM, Germaniæ Provinciarum in Occidente poſtremam, cœterarum quaſi Clavem, prius SLUSAM, & SLEUSAM, poſtea SLESAM & SLESIAM eſſe dictam. Unde colligas porro, à Scriptoribus Latinis, non quidem horridam,

ridam, ſed tamen minus lenem duarum Literarum SL Conjunctionem, delicato antiquorum Romanorum Ori non reſpondentem, interpoſito I eſſe diſſolutam, ut ex SLESIA fieret SILESIA. Cui Sententiæ ſi ſubſcribis, habes a Sileſiæ Situ, quoniam Sileſia Germaniæ SLUSA, id eſt, Clauſula eſt, SILESIORUM Nomen Ortu Germanicum.

## GERMANICA Poſterior.

XXIX. Tandem ſupereſt, ex Sileſiæ Situ, quatenus ea Germaniam claudit, alia Sileſiorum Nominis Origo Germanica. Nam Rei Terminus, qui Latinis quidem *Clauſa, Clauſula, Clauſura:* Germanis autem *Sluſa, Schluſa, Sleſa, Schleſa, Schleuſa* dicitur: etiam Germanis, potiſſimum Friſiis appellatur *Syle, Siele, Sile.* Hermannus Hamelmannus in Chronico Oldenburgico, Parte I. Cap. XIX: *Dadurch ſeind alle Ruſtringer noch mehr erzurnet, haben ſich derowegen anderweit mit einander verbunden, und ſeind mit ihrer ganzen Macht wiederumb in das Stedinger Land gefallen, auch mit Durchſtechung aller Waſſer-Schleuſen oder SIELEN, mit rauben, brennen und verderben alſo hausgehalten, das das Land faſt in die ſieben Iar wuſt und ungebaut liegen geblieben.* Johannes Heringius in Tractatu de Molendinis, Quæſtione XL. § 20: *Aquarum Emiſſaria [ Portas alii vocant, ſive Januas, Tempore Fluxus & Refluxus marini apertas vel clauſas, ac pro Ratione Agrorum nimiam ſuperfluamque Aquam emittentes, vel recentem deferentes per Foſſas Manu factas ] Noſtratibus ſimpliciter Siel-Deepe aut Deepe, vel SIELE oder Schleuſſe, und Thuren, ſo zur Zeit Ebbe und Fluht auf und zugehen: oder dadurch man das ubrige Waſſer vom Land ab, oder nach Gelegenheit, friſches wieder hinein lauffen læſſet.* Ibidem mox: *Quibus etiam, ut ideo Curam earum gerant, Mulctamque de Aggeribus male firmis Negligentiæ repetant, certi ac jurati præficiuntur Viri, vulgo dicti, die Teich- und SIEL- geſchworen: Phryſiis conciſius, Dick- und SIEL- ſchwaren.* Quæſtione XLV. §. 31. de iisdem Præfectis: *Vulgo Dieck- ſive Teich- und SIEL- geſchworne dicti.* Ioannes Gryphiander, Oldenburgicus Friſius, in Tractatu de Inſulis Cap. XXVIII. §. 56: de Clauſtris, quibus Aqua modo arcetur, modo admittitur: *Galli des Ecluſes, Belgæ corruptè Sluſſen, Noſtri SIEL dicunt.*

XXX. Quamobrem inde Robur capit Conjectura, SILESIAM, Germaniæ quaſi Portam, Exteris & admittendis, & abigendis habilem, ideo dictam SILEN: & Incolas ejus appellatos SILES atque SILESIOS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0029-6

# Caput III.

## ORIGO ſecunda SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Solo, POLONICA.

I.

SUnt etiam, quibus SILESIORUM Nomen à Sileſiæ SOLO exiſtimant ortum. Nam id aſperum, quamvis hodie non ſit, quod curioſis Advenarum Oculis ubique ſatis Bonorum, partim benigniori Naturæ, partim laborioſæ Manui adſcribendorum, in Agris, Pratis, Hortis, Silvis, Pagis, Urbibusque monſtrat: olim tamen fuit, ad Germaniæ, cujus Pars eſt, univerſæ priſcam Conditionem, ſub Populis, ad Arma potius, quam ad Aratra progenitis & aſſuetis.

II. Eam Sileſiacæ tum veterem, tum novam Telluris Faciem intueri cupientibus, depictam offerunt, Franciſcus Faber in Sabotho, Verſu 1085, multisque ſubſequentibus. Davides Sigemundus in Germanico & Sarmatico Itinere, [quod Nicolaus Reuſnerus in ſuum Itinerarium tranſtulit] verſu 49. & ſeq. Michael Neander in Orbis Terrarum Explicatione, Parte I. Nicolaus Henelius in Sileſiographia Cap. II. Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, lib. IV. Cap. V.

III. Ob illam Soli, quod Sileſii tenent, quanquam per ſe boni, tamen nihil aut parum quondam culti, malam Glebam, Lechus, primus Polonorum è Sclavis Dux, SILESIAM, Comparatione Soli, dubium, Bohemici, quod Zechus Frater occupaverat, an Polonici, quod ipſe jam poſſidebat, cum primum aſpexiſſet, Sclavica voce SLISEMAM, id eſt, *malam Terram*, nominaviſſe dicitur in quibusdam Sileſiorum Chronicis Germanicis MStis. Ita nominatam refert Franciſcus Faber in Sabotho, Verſu 1085: de Sileſia:

*SLISEMAM vero hæc horrentia Sentibus Arva,*
*Nempe MALA à GLEBA quidam dixiſſe feruntur:*
*Haut fors immerito. Nec enim tam Patria chara eſt,*
*Ut manifeſta negem: nec vos neſcire putandum,*
*Qui ſemper mecum has Terras Cœlumque tenetis*
*Indigenæ, tale hoc Cœlum Terrasque fuiſſe.*

IV. Quo Pacto, ſi à *Sliſema* Nomen *Sileſiæ* provenit, à *Sliſemiis* aut *Sliſemanis* Nomen *Sileſiorum* deſcenderit: utrumque, citra Controverſiam, Origine Slavicum: ſeu à *Zle*, quo Slavis *Malus* indicatur, ſeu ab alia Voce Slavis, ſi non hodie, tamen olim uſitata, productum. Cœterum, ea Sileſiorum Nominis Derivatio, quia neque ſatis per ſe commoda videtur, & lubricum habet Fundamentum, nihil firmi tenet, in quo acquieſcas.

# CAPUT IV.

## ORIGO tertia SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Fluvio SLESO, SLAVICA.

I.

PRæterea ſunt, quibus SILESIORUM Nomen à Sileſiæ Fluvio ELSA creditur derivatum. Is ad Hungariæ Fines, Sileſiam contingentes, proſiliens, in Teſchinenſium Agris, Urbes Jablunkam, Teſchinam, Freiſtadium præterlabitur: hinc Ratiborenſium Terras ingreſſus, ad Oppidum Oderbergam in maximum Sileſiæ Flumen Oderam decurrit.

II. Eundem Amnem vocat OLSCHAM Joannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica Tomo I. Lib. I. Cap. IX. OLSAM Joannes Antonius Maginus in Geographia, Part. II. de Sileſia. ELSAM verò Caſpar Schwenckfeldius in Sileſiæ Geographia, de Teſchena. Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. III. Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. XXXI. & Lib. IV. Cap. IV. Davides Vechnerus in Germaniæ Breviario, quod Abrahamus Vechnerus auxit, de Urbe Ratiboria. Fridericus Lucas in Sileſiæ Chronico, Parte VII. Cap. III.

III. Præterea, qui plurimis ELSA dicitur, eum quoque nonnullis SLESAM dici, Melchior Goldaſtus annotavit in Commentariis de Bohemia Lib. I. Cap. XIV. §. 3. *Alii alias*, inquit, *Nominis Sileſiæ Rationes perquiſiverunt. Sunt, qui à SLESA, qui & ELSA, Flumine deducunt.*

IV. Ab eo Fluvio, quem non SLESAM, ſed SLESUM appellat, quemadmodum Sileſiam *Sleſiam*, ita Sileſios *Sleſios* eſſe dictos, exiſtimat Conradus Celtes Lib. II. Amorum, Elegia V.

*Hic Odera, à priſcis qui Nomina Suevus habebat,*
*Naſcitur, & Codani præcipitatur Aquis:*
*Suevus, qui SLESUM ſocium ſibi convocat Amnem:*
*A quo nunc Nomen SLESIA Terra gerit.*

V. Eandem Sileſiorum Nominis Originem ſtatuunt, Sebaſtianus Munſterus in Coſmographia Lib. III. Cap. DVIII, de Sleſia. Jacobus Spiegelius in Scholiis ad Ricardi Bartholini Librum X. Auſtriados, Verſum 603. Jodocus Hondius in Gerardi Mercatoris Atlante minore, de Sileſia.

VI. At enim, an ab hoc Amne parvo, ſeu SLESA ſeu SLESUS vocetur, ampla Regio, cujus exiguam Partem, Ducatum Teſchinenſem, rigat, prius *Sileſia*, deinde *Sileſii* Nomen ſuum acceperint, Jure dubitatur: quoniam id ex antiquis Monumentis nullo Teſtimonio, quantum nobis explorare licuit, demonſtrari poteſt.

VII. Cœterum, quanquam prorſus incertum eſt, unde Fluvius ELSA dictus ſit tum SLESA, tum SLESUS: non æque tamen dubium videtur, Nomini, quod ille ſuſtinet, Matrem eſſe Slavicam Linguam: cujus ex Vocabulo *Zle* formatam Syllabam *Sle* continet. Quare Sileſiorum ab hoc Fluvio deducti Nominis Originem ſtatuere Slavicam, nos Sententia probabilis juſſit. Abſit enim, ut omnes Germanorum Voces, Syllabam *Sle*, quaſi nunquam non Slavicam, continentes, ortu Slavicas cenſeamus. De quo videantur, quæ diximus Cap. II. §. XVIII.

# Caput V.

## ORIGO quarta SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Monte SABOTHO, LATINA & GERMANICA.

I.

Sileſiæ, cujus velut Umbilicus eſt, Mons admodum clarus, Ambitu mille quadringentorum Paſſuum Spatia complexus, à Vratislavia quidem ad quartum, à Suidnicio autem ad alterum Lapidem, in Planicie Situs, præcelsô Faſtigiô latiſſime circumjacentibus Locis conſpicuus, diſcrepantibus, quamvis ab uno deſcendentibus, indicatur Vocabulis.

II. Antiquiſſimô primariôque nuncupatur Nomine ZABOTHUS. Id ei dant, Caſpar Schwenckfeldius in Geographia Sileſiæ, Stirpibus & Foſ-

ſilibus præmiſsâ, de Montibus & communibus, & propriis. Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. I. Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. IV. Cap. III.

III. Ab hoc cætera, quibus denotatur, omnia Nomina provenerunt. Nam, quia *Zabothus*, ideo appellatur primô *Zabothenſis* : Secundô *Zobtenſis*. Quamobrem ei ſubjacens Oppidum non omnibus Zabothum, ſed non nullis etiam vel Zobtenum, vel Zobtena dicitur.

IV. Præterea vocatur tertiô *Zothenſis* : & quartô *Zottenſis*. Hinc Arcem in eodem Monte poſitam, quam Henricus V. Cognomentô aliis Craſſus, aliis Obeſus, Dux Lignicenſis, Anno M. CC. XCVI, vivis exemtus, deſignato Filiorum trium Tutori, Fratri ſuo Boleslao in Præmium contulit, Zottenbergam vocat Joachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus ad Annum 1296.

V. Sunt, quibus ideo, quia *Zottenſis* audit, Ratio ſpecioſa obvenit, cur eidem Monti Nomen Ortu Germanicum conti giſſe judicarent. Nam, Sileſiis *Zottelen* eſt ire : *mit zottelen* eſt comitari : *nachzottelen* eſt ſubſequi. Grandis autem Mons ille vicinis Peregrinatoribus quandam vel Comitantis, vel Subſequentis præbet Imaginem. Propterea *Zottelenſis*, eliſisque Literis duabus, *Zottenſis* nominatus videtur. Franciſcus Faber in Sabotho, Verſu 203. de Sabotho :

*Noſtrates vocitant pro Re Tractuq; SEQUACEM.*

Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico Lib. IV. Cap. III. *Im Lande Schleſien liegen neben andern Bergen vier hohe furnehme Berge : als erſtlich der ZOTTENBERG : welcher ſeinen Namen dannenhero uberkommen, per Campos omnes quod concomitetur euntes : daß er den Reiſenden oder Wandersleuten gleich nachzottelt.*

VI. Quintô, plerisque Scriptoribus, iisque potioribus dicitur SABOTHUS: More, non Græcis Latinisque tantum, verum Germanis etiam, Z in S mutantibus, uſitatô. Eum Græcis & Latinis familiarem fuiſſe, paſſim obvia Exempla docent. Germanis vetuſtioribus adhibitum Z, recentioribus in S converſum, præter alios, indicat Willeramus, Martisburgenſis Abbas, in Gloſſis Germanicis & Latinis MStis, quas in Salomonis Canticum Canticorum ſcripſit, ad Caput I, 3 : *Din namo iſt uzgegozzenez Ole* : id eſt, *Dein Name iſt ausgegoſſenes Oehl*. Ibidem : *Vone dir heizzen wir Chriſtiani* : hoc eſt : *Von dir heiſſen wir Chriſtiani.* Anonymus Autor in Rhythmis Germanicis MStis, quos Vratislavienſium

Eliſabetana Bibliotheca poſſidet, de Salomonis, Hebræorum Regis, Rebus, Verſu 1652:

*Daz keyn Stein yrrete dyne Fuzze,*
*Ob ich alzo ſprechen muzze.*

Id eſt: *Daß kein Stein irrete deine Fuſſe,*
*Ob ich alſo ſprechen muſſe.*

Videantur, quæ diximus Cap. II. §. XIII.

VII. SABOTHUS autem nominatur, præter alios, Franciſco Fabro, Vratislavienſis Civitatis Secretario: cujus laudatiſſimum Poëma, quô Res Sileſiæ primarias protulit, ex MStis antiquisſimis, tum aliis, tum Germanicis, quibus præfuit, per IX. Annos elaboratum, poſt Autoris, Anno 1565, defuncti Mortem, apud Baſileenſes Anno 1592. editum, *Sabothus* inſcribitur.

VIII. Unde Mons, de quô agimus, Zabothi Nomen, à quo reliqua dependent, acceperit: neminem, qui vel expoſuerit, vel delineaverit, reperire potuimus. Id proinde nobis relictus Labor è profundioribus Fundamentis, quô ſubtilius, quô plenius, eô certius, eô clarius oſtendet: Ut inde ſatis pateat, quemadmodum *Zabothus* dederit proprium *Sileſiæ* Vocabulum.

IX. Fundamentum primum eſt, in Monte Zabotho à Sileſiis nondum Chriſtianis, quorum Religionem, Anno 965, ſuſceperunt, Sacra quondam peracta. Huic ut Firmitudo ſua conſtet, præmittendum, quæ Fides habenda ſit Autori, cujus Teſtimonium afferemus. Eſt ille Ditmarus, Sigefridi, Comitis Saxonici Filius: Anno 976. natus: prius Magdeburgenſis Monachus, deinde Wallibicenſis Præpoſitus: Anno 1005. Henrici II. Cæſaris [ cujus in Sacello Palatino Sacerdos erat ] Boleslaum I. Polonorum Ducem, debellantis Comes: Luſatiam, Sileſiam, Poloniam ingreſſus: Anno 1008. Martisburgenſis Epiſcopus in Miſnia creatus: Anno 1017. Chronici, cujus octo Libris Res Imperatorum, Henrici I. Ottonis I. II. III. & Henrici II. recenſet, Scriptor: Anno 1018. mortuus. Hæc commemorant, ipſe Ditmarus in Chronico ſuo paſſim: Anonymus Autor, Ditmaro coætaneus, ex quô Ditmari Vitam Reinerus Reineccius publicavit: ipſe Reineccius in Ditmari [cujus ex Libris compoſita eſt] Vita: & Erneſtus Brotuffus in Martisburgenſium Chronico, Lib. II. Cap. VII.

X. Quare vix erit, ut in dubium vocentur, quæ Ditmarus de Sileſiis narrat, eo Sæculo, quô ad Chriſtianam Religionem acceſſerunt, poſt Decennium, natus: in Miſnia, Luſatis proximâ, Sileſiis propinquâ, Epiſcopus: ipſe,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0034-0

ipſe, cum Annorum XXX. Vir eſſet, Sileſiæ, quam peragravit, Spectator: Ævo ſuo eruditisſimis par: ob Diligentiam & Sinceritatem Hiſtoriis conſignatis adhibitam, dexterrima Iudicia promeritus: qualia ſunt, non Reineri Reineccii ſolum, ſed aliorum etiam: inter quos eſt Andreas Brunnerus in Annalibus Boicis, Parte II. Lib. IX. Cap. II.

XI. De Sileſia vero Ditmarus Libro VIII. tradit, quemadmodum, Anno 1005, Miſeco, Boleslai I. Polonorum Ducis, Filius, cum in abſentis Othelrici, Bohemorum Ducis, Terram Irruptione, Patrem Boleslaum quidem oblectaviſſet, at Cæſarem Henricum II. offendiſſet, ab eodem Cæſare, Bohemis & *Luſatis*, quos *Luiticios* appellat, inſtructô prius ad *Glogoviam*, quam *Gloguam* vocat: poſt ad *Nimicium*, quod *Nemetzium* nominat [ à quô Sabothus tribus Milliaribus diſtat ] hoſtilem ſuis Copiis Exercitum opponi ſenſerit. Primum, *Cæſar vero*, inquit, *cum Exercitu ſuo & Bohemiorum atque Luiticiorum Comitatu obvia quæque devaſtans, quinto Idus Auguſti, ad Urbem GLOGUAM, ubi Bolizlavus cum ſuis eos præſtolatur, ſolicitus venit.* Deinde paucis interpoſitis addit: *Inde electas ab Exercitu valido Legiones XII. ad Urbem, eo, quod à noſtris olim ſit condita, NEMETZI dictam, præmiſit; quæ Habitatoribus his venturum præoccuparent Auxilium.* Paulò poſt refert, in ea Terrâ, quæ Nimicium ſuſtinet, inveniri Montem excelſum & grandem, quem proprio quidem Vocabulo non deſignat: Nimicio tamen vicinum innuit: eisque Circumſtantiis non alium Montem niſi Zabothum deſignat. Quod dudum agnovit Henricus Meibomius in Commentariolo de Pagis Saxonicis: & in Saxonica Irminſula, Cap. II.

XII. Mox ibidem Ditmarus adductis ſubjungit, omnes Incolas, id eſt, Sileſios, in eodem Monte Sacris ſuis defunctos. *Hic* ( Mons, ait) *ob Qualitatem ſuam & Quantitatem, cum exſecranda GENTILITAS ibi veneraretur, ab Incolis omnibus nimis honorabatur.* Quibus, ne qua ſubſit Obſcuritas, ſubjiciemus Explicationem. *Gentiles* ſunt â Judæis & Chriſtianis Religione diſcrepantes, falſorum Deorum Cultores, quos alii *Paganos* appellant. Vigilius Tapſenſis Lib. I. contra Arium, Cap. V: *Cum tres ſint in Mundo Religiones, Iudæorum, Paganorum & Chriſtianorum, multis & longe diſcretis Sententiarum Diverſitatibus.* Auguſtinus in Pſalmum XXVIII: *Gentilis ille eſt, qui in Chriſtum non credit.* Theodoſius Imperator in Codice [ Lib. XVI. Tit. V. ] de Hæreticis, Lege XLVI: *Iudæi atque Gentiles, quos vulgo Paganos appellant.* Ideo Idololatria dicitur Gentilitas. Prudentius in Libro Periſtephanon, Hymno XIV. contra Gentiles, qui Romanus inſcribitur, Verſu 1086:

*Has*

*Has ferre Pœnas cogitur GENTILITAS.*

Sulpitius Severus Lib. I. Cap. LXXXVI: *Ex quibus plerique Divinas Ceremonias receperunt, reliquis in Errore GENTILITATIS perſeverantibus.* Hinc Gentilitatem, quâ Sileſii Montem Zabothum nimis honoraverunt, Ditmarus exſecrandam judicat.

XIII. Nunc, quem in Gentilium innumeris Deis, aut ſolum, aut primarium, in Monte Zabotho Sileſii Pagani coluerint, oritur Quæſtio? De noſtrâ Sententiâ, coluerunt IOVEM: quem, ſi Oculis acutioribus intueamur, omnes Pagani, adeoque tum Germani, tum etiam inter hos Sileſii, pro Deo venerati ſunt. Id quantô evidentius demonſtrabimus, tantô accuratius enucleabimus & Nomen, & Naturam Iovis.

XIV. Nominis, quô *Iupiter* indicatur, Radix omnium prima non alia videtur, niſi Vox, quâ verus unicusque DEUS IEHOVA denotatur. Hoc primis, poſt univerſale Diluvium, Sæculis, ab Hebræis, cum eorum Poſteris, traductum, & ab his corruptum arbitramur. Nam omnes ab Hebræis provenientes Populi Pagani, cum ab illo Majorum ſuorum Deo, qui IEHOVA dicitur, defeciſſent: quamvis non amplius eum, tamen, partim veteris Traditionis Fiduciâ, partim naturalis Cognitionis Evidentiâ ducti, aliquem ſibi ſtatuebant Deum, cujus ad Cultum ſecretô Conſcientiæ Stimulô ſe obligatos ſentiebant.

XV. Inter hos ſemper fuerunt Dei unius Aſſertores. Quibus nos quidem non annumeramus Sibyllas, licet antiquisſimas, quarum Delphica, ut Cornelius Bacchus apud Solinum Cap. VIII. refert, ante Bellum Trojanum, hoc eſt, ante Chriſtum natum, Anno 1190, vixit. Nam ſub eorum Nomine ſuperſtites Oraculorum Libri VIII, quanquam Scriptoribus vetuſtis, Iuſtino Martyri, Theophilo Antiocheno, Athenagoræ Athenienſi, Clementi Alexandrino, Euſebio Cæſarienſi, Firmiano Lactantio: etiam recentioribus, Auguſtino Steucho, Eliæ Schedio, Tobiæ Pfannero, pro genuinis habitos, utique ſuppoſititios, demum poſt C. N. à Chriſtianis compoſitos, Ioannes Opſopæus in Procemio Sibyllinis Oraculis præmiſſo: & Gerardus Ioannes Voſſius de Poëtis Græcis, Cap. I. luculenter docent.

XVI. Reperimus in Paganis Autores minime fictos, unum DEUM eſſe judicantes, cum Poëtas, tum Philoſophos. Inter Poëtas omnium antiquisſimus eſt Homerus: de cujus, ut Patria, ſic Ætate certatur. Cum eô conſentiunt, præter alios, Orpheus & Sophocles. Inter Philoſophos eminet Pythagoras Samius, Olympiadis 65. Anno I. Darii, Perſarum Regis,

quem

quem Cyrus Succeſſorem habuit, Anno 2: ut Euſebius in Chronico [ſecundum Editionem non Arnaldi Pontaci, ſed Ioſephi Scaligeri] ad Annum 1497. commemorat: hoc eſt, ante C.N. Anno 517. clarus. Cujus Sententiam [ut alios Silentiô premamus] Socrates, Plato, Ariſtoteles, cum Aſſeclis, ad plures Populos, in ſeram Poſteritatem propagaverunt. De quibus legi merentur, Irenæus in Oratione ad Gentiles: Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum: Euſebius Cæſarienſis Lib. XIII. Præparationis Evangelicæ, Cap. XIII. Minutius Felix in Octavio: Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis.

XVII. Unde colligas, Veritati reſpondere, quod Auguſtinus Lib. XX contra Fauſtinum, Cap. XIX. monet: *Gentes non usque adeo ad falſos Deos eſſe delapſos, ut Opinionem amitterent unius veri Dei, ex quô eſt omnis qualiscunque Natura.* Certe Paganis, ut Paulus ad Romanos I, 19. docet: *Quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt illis. Deus enim illis patefecit. Nam inviſibilia ipſius ex Creatione Mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ipſaque ſempiterna ejus Virtus & Divinitas, ad hoc, ut ſint inexcuſabiles.*

XVIII. Hunc vero, quem in Paganis potiores ſolum, plerique primarium Deum, cæterorum Patrem agnoverunt, nominaverunt IOVEM. Lactantius Lib. I. Divinarum Inſtitutionum, Cap. XI. de Paganis: *Convicti de uno DEO, cum id negare non poſſunt, ipſum ſe colere affirmant: verum hoc ſibi placere, ut IUPITER nominetur.*

XIX. Proinde non immerito, unde *Iupiter,* ille communi plurimarum Gentium Conſenſu vel unicus, vel præcipuus Deus, Nomen ſuum acceperit, diſputari ſolet. Multis à *Iuvo,* quaſi *Iuvans Pater,* dici creditur. Inter hos eſt Cicero Lib. II. de Natura Deorum, Cap. XXV: *Ipſe IUPITER, id eſt, IUVANS PATER, quem converſis Caſibus appellamus à IUVANDO IOVEM, à Poëtis PATER DivumqueHominumque dicitur, à Majoribus autem noſtris Optimus Maximus.* Servius ad Virgilii Librum I. Æneidos, Verſum 50: *Iovem autem à juvando dixerunt.* Ad Lib. IV. Æn. v. 638: de Diis: *Ab Actibus autem vocantur, ut Iupiter Iuvans Pater.* Ad Lib. IX. Æn. v. 128: *Iupiter dictus eſt, quaſi Iuvans Pater.*

XX. Aliis *Iupiter,* qui Nominativô antiquiſſimô dicebatur *Iovis,* tanquam *Iovis Pater,* vocari exiſtimatur. Nam, ut Priſcianus docet. Lib. V. *Vetuſtisſimi Nominativum quoque, Hic Iovis, proferebant.* Lib. VI. *Iovis Nominativô quoque Caſu invenitur.* *Cæcilius in Epiſtola: Nam novus quidem Deus repertus eſt Iovis.* Hyginus Fabula LXIII: *Iovis in Imbrem aureum converſus.* Fab. LXXV: *Iovis ob id fecit.* Fab. XCII: *Iovis impe-*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0037-8

*rat Mercurio.* Hinc Gellius Lib. V. Cap. XII. *Iovem Latini veteres à juvando appellavere: eundemque alio Vocabulo juncto Patrem dixerunt. Nam, quod eſt in eliſis aut immutatis quibusdam Literis IUPITER, id plenum atque integrum eſt IOVIS PATER.*

XXI. At Veritati magis convenit, IOVEM ab Hebræorum יְהֹוָה IEHOVA, quô verus DEUS deſignatur, eſſe dictum. Id dudum Viri doctiſſimi perſpexerunt: præter alios, Melchior Goldaſtus in Notis ad Columbani Abbatis Cap. VIII. Verſum 64. Nicolaus Fullerus in Miſcellaneis Lib. II. Cap. VI. Chriſtianus Becmannus in Latinæ Linguæ Originibus. Gerardus Ioannes Voſſius in Latinæ Linguæ Etymologico. In horum Sententiam, ſed non eadem Via digreſſuri, quò diſtinctius, eò apertius oſtendemus, quemadmodum à *Iehova* derivari *Iupiter* potuerit.

XXII. Primum in IEHOVA Literam H, lenem & minus ſenſibiliter ſeparabilem, Paganis omiſſam judicamus, pro *Iehova* dicentibus *Icova:* quemadmodum pro *Charitas* dixerunt *Caritas.*

XXIII. Deinde pronunciantibus Vocem IEOVA, cum Vocalium Conjunctio redderet celeriorem, mox etiam breviorem, ejecta Litera E, redditam arbitramur. Eam certè Literam ſæpius & Græci, & Latini à Vocibus excluſerunt. Hinc Græcis non tantum ἱερεὺς *Hiereus*, ſed etiam ἱρεὺς *Hireus* dicitur: quô Modô Διὸς ἱρεὺς *Iovis Sacerdos* appellatur Homero in Iliade, Lib. XVI. Verſu 604. Hinc Latini, quanquam veteres *Moneſtrum* dixerunt, ut Ælius Stilo apud Pompejum Feſtum indicat: recentiores tamen *Monſtrum* dicunt: & Boves, quos antiqui *Teriones* vocaverunt, juniores nominant *Triones:* unde *ſeptem Triones:* ut Varro de Lingua Latina Lib. VI. Cap. IV. Gellius Lib. II. Cap. XXI. docent. Ita non difficulter à *Icova* derivari *Iova* potuit.

XXIV. Præterea conſtat, Hebræis pro Tetragrammato יְהֹוָה *Iehova*, ſæpius יָהּ *Iah* dici: quorum hoc pro illo poſitum Pſalmo LXVIII, 19 XCIV, 7. CII, 19. reperitur. Hinc, vel mutato H in O: vel prius abjecto H, ut fieret IA: deinde addito O, Hebræorum Deus IA dictus, Paganis Græcis Ἰάω IAO dicebatur. Diodorus Siculus Lib. I. Cap. XCIV: παρὰ μὲν γὰρ τοῖς Ἀριμασποῖς Ζαθραύστην ἱστοροῦσι τὸν ἀγαθὸν δαίμονα προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι, παρὰ δὲ τοῖς ὀνομαζομένοις γέταις Ζάμολξιν, ὡσαύτως τὴν κοινὴν Ἑστίαν, παρὰ δε τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ιαὼ Ἐπικαλούμενον θεόν. *Nam apud Arimaſpos Zathrauſtes perhibetur bonum Genium finxiſſe, Leges ſibi tradidiſſe, apud Getas verò Zamolxis, ſimiliter communem Veſtam: apud Iudæos autem Moſes Deum, qui IAO dicitur.* Cornelius Labeo de Apollinis Clarii Oraculo

culo apud Macrobium Lib. I. Cap. XVIII. *Conſultus Apollo Clarius, quis Deorum habendus ſit, qui vocatur* Ἰάω, *ita effatus eſt:*

> Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ΙΑΩ,
> Χείματι μὲν τ' Ἀίδην, Δία δ' Εἴαρος ἀρχομένοιο,
> Ἠέλιον δὲ θέρευς, Μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.
>
> *Dic omnium ſupremum Deum eſſe IAO:*
> *Hieme quidem Plutonem, at Iovem Vere incipiente:*
> *Et Solem Æſtate, Autumno autem mollem IAO.*

XXV. Accedit huc, quod Gentiles Diis ſuis, non Iovi tantum, verum etiam Diti, Iano, Libero, Marti, Saturno aliisque Nomen *Pater* addere ſolebant. Exempla reperimus apud Catonem de Re ruſtica, Cap. CXLII. Ciceronem Lib. II. de Natura Deorum, Cap. XXVI. Martialem Lib. VIII. Epigr. II. Valerium Maximum Lib. I. Cap. VIII. Lactantius Lib. IV. Cap. III: *Ut Iupiter à precantibus PATER vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps.*

XXVI. Nunc evidenter monſtrabimus, quemadmodum vel ex IAO, vel ex IOVA evaſerit IUPITER: cum utrique Cognomentum PATER additur. Nam ex IAO fit IAO PATER. Id facillimâ Literarum Mutatione poſtea, vel AO in U converſis: ut fieret IU PATER, inde IUPITER: vel abjectô A, ut fieret IOPATER, inde IOPITER: quod tandem, O in U converſô, in IUPITER tranſierit.

XXVII. Non minus, imò magis aptâ Mutatione potuit ex IOVA produci IUPITER. Nam, cum Voci IOVA conjunxerunt Cognomen PATER, effecerunt IOVAPATER: &, A eliſô, IOUPATER. OU autem, veteribus uſitatum, recentiores, O abjicientes, converterunt in U. Hinc *Iouſſit* pro *Iuſſit* in Iani Gruteri legitur Inſcriptionibus, Pag. CLXXI. Num. VII. Eum in Modum antiquis *Iouglans*, pro *Iuglans* dicebatur: quæ Iovi ſuum debet Nomen: quoniam erat Iovis Glans. Varro de Latina Lingua Lib. IV. Cap. XXI: *Pinus Iuglans: quod hæc Nux, antequam purgetur, ſimilis Glandi. Hæc Glans optima & maxima, ab Iove & Glande, Iuglans eſt appellata.* Plinus XV. Cap. XXII: de Nuce Iuglande: *Sunt, qui Honoris Nomen interpretantur, & Iovis Glandem eſſe dicunt.* Servius ad Virgilii Eclogam VIII. Verſum 30: *Nuces in Tutela ſunt Iovis. Unde & Iuglandes vocantur, quaſi Iovis Glandes.* Gabius Baſſus in Libro de Significatione Verborum, apud Macrobium

Lib. II. Saturnalium, Cap. XIV: *Iuglans Arbor proinde dicta eſt, ac Iovis Glans.* Iſidorus Lib. XVII. Originum, Cap. VII: de Nuce: *Hanc alio Nomine Latini Iuglandem vocant, quaſi Iovis Glandem. Fuit enim hæc Arbor conſecrata Iovi.*

XXVIII. Sic IOVAPATER in unam contractus Vocem, prius IOUPATER, poſtea IUPATER, tandem A in I converſo, IUPITER factus eſt: quemadmodum MARSPATER evaſit MARSPITER. De quô Gellius Lib V. Cap. XII: *Et Neptunus pater conjunctè dictus eſt, & Saturnuspater, & Ianuspater, & Marspater. Hoc enim eſt Marspiter.* Macrobius Lib. I. Saturnalium, Cap. XIX: de Marte & Libero: *Romani utrumque Patris Appellatione venerantur, alterum Liberum Patrem, alterum Marspitrem, id eſt, Martem Patrem cognominantes.* Ita nos cenſemus ex Iehova Gentilibus formatum *Iovem.*

XXIX. Id fortaſſis Veteres quidem Chriſtiani reſpicientes, Deum ſuum, *Iehovam* Patrem nominaturi, non veriti ſunt vocare *Iovem.* Ianus Gruterus in Inſcriptionibus, Pag. ML. Num. 8: *Aurelio Balbo, Vita integerrimo Moribusque ornato, qui ſe quietioris perfectiorisque Vitæ Deſiderio, ex Negotiis civilibus, in quibus fuerat cum Laude verſatus, IOVIS OP. MA. Beneficio ducto, hic in Spe Reſurrectionis quieſcenti Locus publice datus eſt.*

XXX. Nominis, quod Iupiter ſuſtinet, hæc Origo jam nos ad ipſius Naturam, ſecundum Paganorum Sententias, conſiderandam progredi jubet. Eam nobis patefaciunt Proprietates duplices: quarum priores adſtruunt Iovi Naturam vero Deo Iehovæ propriam: poſteriores attribuunt Iovi Naturam non Deo, ſed Rebus à Deo creatis convenientem. Primarias Scopo noſtro ſervientes proferemus.

XXXI. Priorum Proprietatum, quibus Iehovæ ſolet æquari Iupiter, prima eſt, quâ *Deus* non tantum *unicus,* verum etiam *æternus* habetur. Talem ſtatuunt Iovem Zeno, Cleanthes, Chryſippus, Archidemus, Poſidonius, Antipater: ut indicant, Laertius Lib. VII. Plutarchus in Libro adverſus Stoicos, Cap. LIX.

XXXII. Secunda eſt, quâ Iupiter ſtatuitur *omnium Rerum Conditor, Servator, Dominus.* Talem crediderunt Iovem Pythagoras, Orpheus, Sophocles: ut tradunt, Lactantius in Libro de Ira, Cap. XI. Iamblichus de Pythagoræ Vita, Cap. XVIII. Iuſtinus Martyr in Oratione ad Gentiles: Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. V. Euſebius Lib. XIII. Præparationis Evangelicæ, Cap. XII.

XXXIII. Tertia eſt, quâ Iupiter judicatur eſſe *Principium*, à quô omnia ſunt: & *Finis*, ob quem omnia ſunt. Qualis eſt Iehova, ut ipſe Nomen ſuum interpretatur apud Iohannem in Apoc. I, 8: Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ κύριος ὁ Θεός, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. *Ego ſum A & O, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus, omnipotens.* Talis vero Iupiter etiam dicitur Orpheo Poëtæ: cujus hæc Apulejus in Libro de Mundo; & Euſebius Lib. III. Præparationis Evangelicæ, Cap. IX. profert:

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕςατος, ἀργικέραυνος,
Ζεὺς Κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

*Iupiter eſt primus, poſtremus, Fulmine pollens:*
*Iupiter eſt Caput, & Medium eſt: ſunt ex Iove cuncta.*

XXXIV. Quarta eſt, quâ Iupiter *omnia in omnibus* dicitur. Qualis eſt Jehova: Sicut Paulus I. ad Corinthios XV, 28. docet: ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι: *Deus omnia in omnibus*. Quod ad Romanos XI, 36. ſic explicat: ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo omnia.* Talis autem ſuis Adoratoribus etiam Iupiter habetur. Æſchylus apud Clementem Alexandrinum Lib. V. Stromatum: Ζεὺς τὰ πάντα. *Iupiter omnia.*

XXXV. Hæc falſum vero miſcent, dum Iehovæ, Deo vero, propria, perperam Iovi, Deo ficto, adſcribunt. Hinc Attributa Iovi, cui non debentur, Paulus Iehovæ, cui debentur, applicat. Aratus in Phœnomenis, verſu 4: cum plena Iovis omnia dixiſſet: Πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Ubique autem Iovis indigemus omnes. Hujus enim Genus ſumus.* Hæc Paulus in Actis XVII, 28. ad Iehovam refert: quem, cum Rerum omnium Creatorem ideo dixiſſet, ut ab omnibus Hominibus quæreretur & inveniretur, addit: Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.*

XXXVI. Poſteriores Iovis Proprietates, ex prioribus, maxime poſtremâ, quâ Deus omnia in omnibus dicitur, non, ut par erat, intellectâ, ſuam trahunt Originem. Nam primum ideo Pagani, quoniam Deum, & unum, & omnia credebant: Creatorem à Creatoris Opere non diſcernentes, hoc eſt, Cauſam cum Effectu confundentes, univerſam Rerum Naturam, quam Senſus, & per eam Intellectus noſter capit, judicabant Deum, vocabant Iovem. Interpres Orphei Græcus apud Euſe-

bium Lib. III. Præparationis Evangelicæ, Cap IX: Ζεὺς ἐν ὁ πᾶς κόσμος. *Iupiter igitur totus Mundus.* Lucanus Lib. IX. Verſu 579:

*Superos quid quærimus ultra?*
*Iupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.*

Seneca Lib. II. Quæſtionum Naturalium, Cap. XLV: de Iove: *Vis illum Naturam vocare? Non peccabis. Eſt enim, ex quô nata ſunt omnia, cujus Spiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? Non falleris. Ipſe enim eſt totum, quod vides, totus ſuis Partibus inditus, & ſe ſuſtinens Vi ſuâ.* De Beneficiis Lib. IV. Cap. VII: *Natura, inquit, hæc mihi præſtat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare Nomen Deo? Quid enim aliud eſt Natura, quam Deus, & Divina Ratio, toti Mundo & Partibus ejus inſerta. Quoties voles, tibi licebit aliter hunc Autorem Rerum noſtrarum compellare: & IOVEM illum optimum ac maximum rite dices.*

XXXVII. Deinde Naturam univerſam, quam dicebant Iovem, velut Totum in Partes dividebant: quibus & Nomen, & Honorem Iovis conferebant. Quô Pactô Iupiter fiebat Cœlum, & quicquid vel in Cœlo, vel ſub Cœlo eſt, Sol, Luna, Æther, Aër, Ignis, Aqua, Tellus: ex his provenientes, ab his dependentes Res omnes, omnes Facultates. Euphorion & Æſchylus apud Clementem Alexandrinum Lib. V. Stromatum: & Euſebum Lib. XIII. Præparat. Evang. Cap. XIII.

Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός.
Ζεύς τοι τὰ πάντα.

*Iupiter eſt Æther, Iupiter eſt Terra, Iupiter eſt Cœlum:*
*Iupiter eſt omnia.*

Euſebius ibidem Lib. III. Cap. IX. de Orpheo: Τὸν κόσμον εἶναι τὸν θεὸν ᾤετο, ἐκ πλειόνων θεῶν τῶν αὐτοῦ μερῶν (ὅτι καὶ τὰ μέρη τοῦ κόσμου θεολογοῦντες ἐν τοῖς πρόσθεν ἀπεδείχθησαν) συνεστῶτα. *Mundum eſſe Deum voluit, ex pluribus Diis, tanquam ſui Partibus (nam ipſas quoque Partes Mundi Deorum in Numerum ab iis repoſitas antea demonſtravimus) conſtitutum.* Seneca de Beneficiis Lib. IV. Cap. VII. de Iove: *Quæcunque voles, illi Nomina proprie aptabis, vim aliquam Effectumque Cœleſtium Rerum continentia. Tot Appellationes ejus poſſunt eſſe, quot Munera.* Apulejus in Libro de Mundo: de Iove: *Cum ſit unus, plurimis Nominibus cietur, propter Specierum Multitudinem, quarum Diverſitate fit multiformis.* Auguſtinus Lib. VII. de Civitate Dei, Cap. XI: cum Iovis aliquot

aliquot Appellationes protuliſſet: *Hæc omnia Cognomina impoſuerunt uni Deo, propter Cauſas Poteſtatesque diverſas.*

XXXVIII. Hinc Iupiter, quamvis unus, tamen multiplex Cognomentum nactus eſt. Nam à Rebus Naturæ communibus, per Cauſas ad agendi Neceſſitatem reſtrictas, productis, uſurpatur *Iupiter Vernus* Iuvenali Lib. I. Sat. V. Verſu 77. *Iupiter Hibernus* Valerio Flacco Lib. III. Argonauticorum, Verſu 578. *Iupiter Frigidus* Horatio Lib. I. Od. I. Verſu 25. *Iupiter Humidus* Virgilio Lib. I. Georg. Verſu 418. *Iupiter Pluvius* Tibullo Lib. I. Eleg. VII. Verſu 26. Statio Lib. IV. Thebaidos, Verſu 758. *Iupiter Turbidus* Valerio Flacco Lib. I. Verſu 81. *Iupiter Tonans* Plinio Lib. XXXIV. Cap. VIII. & Lib. XXXVI. Cap. VI.

XXXIX. Idem, à peculiaribus Dei operibus, per Cauſas ad Libertatem agendi referendas ſubortis, appellatur *Iupiter Inventor* Dionyſio Halicarnaſſenſi Lib. I. Antiquitatum Romanarum, Cap. XXXIX. *Iupiter Cuſtos* Suetonio in Domitiano, Cap. V. *Iupiter Stator* Ciceroni in Oratione Philippica II. Cap. XXVI. Livio Lib. I. Cap. XII. Lib. X. Cap. XXXVI. Lib. XXVII. Cap. XXXIX. *Iupiter Servator* (Soter) Æſchylo in Supplicibus, Verſu 26. Straboni Lib. IX. Arriano de Alexandro Magno, Lib. VIII. Plinio Lib. XXXIV. Cap. VIII. *Iupiter Victor* Livio Lib. X. Cap. XXIX. Ovidio Lib. I. Faſtorum, Verſu 621. *Iupiter Ultor* Plinio Lib. XXXVI. Cap. XVI. *Iupiter Imperator* Ciceroni Lib. IV. in Verrem, Cap. LVII. & LVIII. Livio Lib. VI. Cap. XXIX. *Iupiter Optimus Maximus* Ciceroni Lib. V. in Verrem, Cap. LXXII. In Oratione pro Domo ſua, Cap. VI. Libro II. de Natura Deorum, Cap. XXV. Quæ Cognomenta, ſicut Iehovæ noſtro Veritas, ita Iovi Pagano Error adſcripſit.

XL. Idem à Locis, ubi colebatur, vocatur *Iupiter Olympius*, Ciceroni Lib. III. de Natura Deorum, Cap. XXXIV. Livio Lib. XLI. Cap. XX. *Iupiter Latius* Propertio Lib. III. Eleg. III. Verſu 6. *Iupiter Latialis*, Lucano Lib. I. Verſu 98. Lactantio Lib. I. Cap. XXI. *Iupiter Capitolinus* Suetonio in Iulio Cæſare, Cap. LXXXIV. *Iupiter Tarpejus* Iuvenali Lib. IV. Sat. XII. Verſu 6.

XLI. Quin unus Iupiter ita credebatur omnia Gentilibus, ut iisdem Proprietatibus, per quas cæteroquin à Diis aliis ſeparabatur, connotaretur. Dicitur enim *Iupiter Statius* Militaris, hoc eſt, *Mars* Plinio Lib. XVI. Cap. XLIV. *Iupiter Æquoreus*, id eſt, *Neptunus* Claudiano de Mallii Theodori Conſulatu, Verſu 280. *Iupiter Infernus, Niger, Tartareus, Stygius*, id eſt, *Pluto*, Senecæ in Hercule, Verſu 47. Statio Lib. II. Verſu 49. Valerio Flacco Lib. I. Verſu 730. Virgilio Lib. IV. Æneidos, Verſu 638.

XLII.

XLII. Nimirum Iovem à Diis aliis tantum Vocabulo, non Re ipſa differre judicabant. Hermeſianax in Poëtarum Fragmentis:

Πλȣ́των, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες,
Τρίτωνες, Νηρεὺς, Τηθὺς, Καὶ κυανοχαίτης,
Ἑρμῆς θ', Ἥφαιςός τε κλυτὸς, Πὰν, Ζεύς τε καὶ Ἥρη,
Ἄρτεμις, ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων, εἷς θεός ἐςι.

*Pluto, Proſerpina, Ceres, Venus, Amores,*
*Tritones, Nereus, Tethys & Neptunus,*
*Mercuriusque Vulcanusque inclutus, Pan, IUPITER & Iuno,*
*Minerva & procul jaculans Apollo, unus Deus eſt.*

Seneca de Beneficiis Lib. IV. Cap. VIII. de Iove: *Hunc & Liberum Patrem, & Herculem, ac Mercurium noſtri putant.* Auguſtinus Lib. IV. de Civitate Dei, Cap. XI: cum Deum Ethnicis in Æthere Iovem, alium in aliis Deum eſſe dixiſſet: *Hæc omnia, quæ dixi, & quæcunque non dixi, non enim omnia dicenda arbitratus ſum, hi omnes Dii Deæque ſunt unus IUPITER: ſive ſint, ut quidam volunt, omnia iſta Partes ejus, ſive Virtutes ejus, ſicut eis videtur, quibus eum placet eſſe Mundi Animum.* Non igitur mireris, unde *Ioves* adeo multi provenerint: quorum *Sex* recenſet Cicero Lib. III. de Natura Deorum, Cap. XVI. *Trecentos* Varro numeravit, ut Tertullianus in Apologetico, Cap. XIV. refert.

XLIII. Cæterum, Pagani, & unum, & plures Deos eſſe rati, ut Contrarietatis Contradictionisque ſubterfugerent Culpam, declarabant *IOVEM* unum Deum, eumque *Naturalem*, hoc eſt, verum: Cæteros *Deos*, quorum ille ſicut Genitor, ita Rex habebatur, *Populares*, id eſt, fictos. Cicero Lib. I. de Nat. Deor. Cap. XIII: *Antiſthenes in eo Libro, qui phyſicus inſcribitur, POPULARES Deos multos UNUM NATURALEM eſſe dicens, tollit Vim & Naturam Deorum.* Quibus in medium allatis, poſt quædam Minutius Felix in Octavio ſubjungit: *Expoſui Opiniones omnium ferme Philoſophorum, quibus illuſtrior Gloria eſt, Deum unum multis licet deſignaſſe Nominibus: ut quivis arbitretur, aut nunc Chriſtianos Philoſophos eſſe, aut Philoſophos fuiſſe jam tunc Chriſtianos.*

XLIV. Iam, ut propius ad Scopum noſtrum accedamus, quis neget, in Ethnicis *Germanos*, & in Germanis *Sileſios* pro Deo coluiſſe *Iovem?* At enim, Pagani omnes, quanquam eâ quidem Notione, quâ Iupiter ſolus cæteros Deos omnes in ſe complexus repræſentavit, Iovem, non tamen omnes ſub

ſub Iovis Nomine coluerunt. Unde porro de Sileſiis Paganis oritur Controverſia, ſub Iovis, an ſub alterius Dei Nomine Iovem coluerint.

XLV. Eſt, cur neges, à *Germanis*, quorum Pars *Sileſii* fuerunt, Ethnicis pro Deo habitum *Iovem*. Nam Germanis ante Chriſtum natum erant Dii Sol, Vulcanus & Luna. Iulius Cæſar de Bello Gallico Lib. VI. Cap. XXI. de Germanis: *Deorum Numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum Opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne Fama quidem acceperunt.*

XLVI. Verum Germanorum Deos, aut non ſatis novit Iulius Cæſar, aut poſt Chriſtum natum mutatos recenſet Cornelius Tacitus: cujus Ævo Germanis erant Dii, Mercurius, Hercules, Mars, Iſis. De quibus in Germania Cap. IX.: *Deorum*, ait, *maxime Mercurium colunt, cui certis Diebus, humanis quoque Hoſtiis litare, Fas habent. Herculem ac Martem concesſis Animalibus placant: pars Suevorum & Iſidi ſacrificat.* Imo Vetus Germania, Populis longe lateque plurimis abundans, diverſis Locis, Temporibusque diverſis, cum memoratos, tum alios plures Deos venerari potuit.

XLVII. Sane fuit, cum Germani adhuc Gentiles, Diebus intra Hebdomadem ſingulis aſſignaverunt Deum, Solem, Lunam, Martem, Mercurium, IOVEM, Venerem, Saturnum. Hoc diſerte narrat Gobelinus Perſona in Coſmodromio, Ætate II. Cap. IV. ubi ſpeciatim Iovis Mentionem facit: *Dies IOVIS*, inquiens, *dicitur Donnerstag, id eſt, Dies Tonitrui: quia Gentiles Poteſtatem tonandi attribuebant Iovi, tanquam Summo Deorum.*

XLVIII. Cum autem multi fuerint Paganis Ioves, ut ſupra commemoravimus: quem ex iis *Sileſii* coluerint, patefacere conabimur. Hebræis verus Deus יְהֹוָה *Iehova*, Cognomento, quod à צָבָא *Zaba*, quô *Exercitus* ſignificatur, צְבָאוֹת *Zebaoth*, id eſt, *Exercituum* dicitur. Hoc ei præbet Additamentum Samuel Lib. I. Cap. V. §. 10 Davides Pſalmo XXIV, 10. LIX, 6. Hinc Paulo ad Romanos IX, 29. & Iacobo V, 4. Κύριος Σαβαώθ, *Dominus Sabaoth* appellatur.

XLIX. Id Dei Cognomentum More ſuo Pagani variis Modis corruptum Diis ſuis attribuerunt. Hinc reperitur inter hos Σαβάζιος *Sabazius*, Deis peregrinis adſcriptus. Cicero Lib. II. de Legibus, Cap XV. *Novos vero Deos, & in his colendis nocturnas Pervigilationes ſic Ariſtophanes, facetisſimus Poëta veteris Comœdiæ, vexat, ut apud eos SABAZIUS, & quidem alii Dii peregrini judicati, è Civitate ejiciantur.* Hujus Sabazii,

 tan-

tanquam à Iove diſtincti, Mentionem facit Lucianus in Icaromenippo: Eraſmo Roterodamo Interprete: *Iam enim Cœnæ Tempus erat: meque Mercurius arreptum juſſit accumbere juxta Panem & Corybantes, & Attin ac SABAZIUM, inquilinos iſtos & ancipites Deos. Interea Panem exhibebat Ceres, Bacchus Vinum, Hercules Carnes, Myrtum Venus, Neptunus Mænides. Simul interim & Ambroſiam & Nectar furtim deguſtabam. Nam optimus ille Ganymedes, ut eſt Hominum amans, ſi quando conſpexiſſet IOVEM avertere Oculos, Nectaris Cyathum unum, non unquam etiam duos infundebant.* In Deorum Concilio: Ἀλλ' ὁ Ἄττις γε, ὦ Ζεῦ, καὶ ὁ Κορύβας, καὶ ὁ Σαβάζιος, πόθεν ἡμῖν ἐπισεκεκλήθησαν οὗτοι. *Atqui ille Attis, ô IUPITER, & Corybas & SABAZIUS unde nobis tandem accerſiti veniunt?*

L. Idem *Sabazius*, aliis *Sabadius*, aliis *Sebadius* nominatur. Macrobius Lib. I. Saturnaliorum, Cap. XVIII: de Thracibus: *SEBADIUM nuncupantes magnifica Religione celebrant: ut Alexander ſcribit.* Unde ipſius Sacra *Sabadia* dicuntur Arnobio adverſus Gentes Lib. V. *Ipſa noviſſime Sacra & Ritus Imitationis ipſius, quibus SABADIIS Nomen eſt, Teſtimonio eſſe poterunt Veritati.*

LI. Dicitur *Sanctus Sabadius* in Petri Colvii: *Sanctus Sabazius* in Geverhardi Elmenhorſti Apulejo, Metamorphoſeon Libro VIII. his Verbis: *Sed ille cognito Cavillatu, ſimilis indignati: At te, inquit, Cadaver ſurdum & mutum, delirumque Præconem, omnipotens & omniparens Dea Syria, & SANCTUS SABADIUS* [SABAZIUS] *& Bellona, & Mater Idæa, cum ſuo Adone Venus Domina cœcum reddant.*

LII. Non eſt autem, ut per *Deum* Cognomento ſive *Sabadium* ſive *Sabazium* ſemper à *Iove* diverſum intelligas. Nam reperimus etiam, quibus *Iupiter Sebazius* aut *Sabazius* dicitur. Iulius Firmicus Maternus de profanarum Religionum Errore: *SEBAZIUM colentes IOVEM, Anguem, cum initiantur, per Sinum ducunt.* Valerius Probus de Romanis Literis, Cap. IX: *I. S. IOVI SABAZIO.* Veteres Inſcriptiones, quas Ianus Gruterus in magno Inſcriptionum Opere, Pagina XXII. exhibet: Num. IV: *SP. METTIUS IOVI SABAZIO.* Num. V: *Q. NUNNIUS ALEXANDER DONUM DEDIT IOVI SABAZIO.*

LIII. Quæ cum ita ſint: vero ſimillimum eſt, à Sileſiis Paganis *Iovem* Cognomento *Sabazium*, aliis vel *Sabothum*, vel *Zabothum*, honoratum in Monte, qui propterea ipſe fuit nuncupatus vel *Zabothus* vel *Sabothus*. Id Rerum Sileſiacarum diligentiſſimus Inveſtigator Franciſcus Faber in Sabotho ſuo innuit, cum huic Monti Vocabulum ex Iudæorum Libris Sacris deſumtum à Gentilibus impoſitum ſcribit, Verſu 201. *Advo-*

*Advena Paganus Iudæa à Luce SABOTHUM,*
*Noſtrates vocitant pro Re Tractuque Sequacem.*

Ubi quanquam in totius Orbis Itinerario, quod Nicolaus Reusnerus edidit, pro *Paganus* legitur *Salanus:* &, ut in Margine docet Obſervatio, ſecundum alios, *Slavanus:* tamen in quodam MSto legitur *Paganus:* qualis fuit olim Sileſiæ non tantum Advena Slavanus, id eſt, Slavus; ſed etiam ante Slavos Sileſiam ingreſſos, Indigena Quadus & Lygius.

LIV. Cœterum, non præter Cauſam videtur rectius legi *Slavanus:* quoniam ille Mons, de quo agimus, non antea Lygiis aut Quadis, ſed poſtea demum *Slavis*, Lygiam & Quadiam Imperio ſubjectam tenentibus debuerit Sabothi Cognomentum: non, aliarum Gentium More, plures, ſed *unum Deum*, eumque Mundi univerſi Dominum, colentibus, quem *Sabothum* vocaverint. Nam id Slavis [Sileſiam ingreſſis, de quibus in Libro, Memorabilia Sileſiorum cum Polonis conjunctorum expoſituro agemus] Teſtimonium perhibet Procopius [eo Tempore ſuperſtes, quô Sileſiam Slavi occupaverunt: ut oſtendimus in Libro de Byzantinarum Rerum Scriptoribus, Parte I. Cap. V.] de Bello Gothico Lib. III. Cap. XIV. Interprete Claudio Maltreto: *Hi Populi, Sclaveni inquam & Antæ, non uni parent; ſed ab antiquo in populari Imperio Vitam agunt: ac propterea Utilitates & Damna apud ipſos in commune vocari ſolent. Aliarum etiam Rerum fere omnium Ratio ab utrisque Barbaris ſervatur eadem, ſ itque olim inſtituta. UNUM enim DEUM, Fulguris Effectorem, Dominum hujus Univerſitatis ſolum agnoſcunt, eique Boves & cujusque Generis Hoſtias immolant. Fatum minime norunt, nedum illi in Mortales aliquam Vim attribuunt: at, cum ſibi vel Morbo correptis, vel Prælium ineuntibus, jam Mortem admotam vident: Deo vovent, ſi evaſerint, continuo Victimam pro ſalvo Capite mactaturos: elapſi Periculo, quod promiſere, ſacrificant, eâque Hoſtia Vitam ſibi redemtam credunt.*

LV. Quæ cum aliquam priſcæ Iudæorum Religionis Speciem habeant, quam veteres Sileſios, Quados & Lygios, etſi fortaſſis per Slavos, tamen à Iudæis accepiſſe, non excedit Fidem: Sanè Cauſam juſtam non habet, cur Ioachimum Curæum, eique conſentientem Iacobum Schickfuſium, antiquis Sileſiæ Colonis quædam Iudaicorum Sacrorum Veſtigia cognita fuiſſe ſcribentes, non Erroris, ſed, quod ſatis inverecundè facit, Stultitiæ poſtulet Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. V. Cœterum, quod ibi vehementer ridet, ubi vel Curæus, vel Schickfuſius *Deo Gratias ideo agat, quod ſingulari Providentia Sileſiis ſemper Iudæos*

*miſcuerit:* reperire non potuimus: idque Figmentis cæteris, quibus Autorum Sententias pervertere ſolet, annumerandum credimus.

## Origo LATINA prior.

LVI. Nunc Sabothi, Montis præalti, multos per Ambages, quaſi Cacumen aſſecutis nobis, ubi tandem Nominis quæſitam Originem invenimus, porro circumſpiciendum eſt, quemadmodum *Sabothus* alio deinde Vocabulo deſignatus monſtret Viam, quâ ſit facilior ad circumjacentis Regionis Nomen, quô *Sileſia* vocatur, Tranſitus.

LVII. Iupiter, ut ſupra monuimus, ſecundum Paganorum Placita, non niſi per Nomen à Diis reliquis erat diſtinctus. Ideo *Iupiter Sabazius*, in aliud Cognomen mutatus, audiebat *Dionyſius Sabazius*. Eo Pacto fiebat, ut Dionyſius & Sabazius pro uno Deo haberentur. Harpocratio in Lexico, Voce Sabi: Τὸν δὲ ἀυτὸν εἶναι Σαβάζιον καὶ Διόνυσόν φασιν ἄλλοι τε, καὶ Ἀμφίθεος δευτέρῳ περὶ Ἡρακλείας. *Nam SABAZIUM cum DIONYSO eundem eſſe dicunt, præter alios, Amphitheus Libro Secundo de Heracleo.*

LVIII. *Dionyſius* autem *Sabazius* dicebatur etiam *Bacchus*. Euſtathius, Theſſalonicenſis Epiſcopus, in Commentario ad Dionyſii Alexandrini Oecumenicam Periegeſin, Verſum 1069: ἦσαν δὲ καὶ ἔθνος θρακικὸν Σάβοι, ὅπερ τὰς Βάκχας δηλοῖ Φρυγίᾳ διαλέκτῳ, ἐξ οὗ καὶ ὁ Διόνυσος ἔοικε Σαβάζιος λέγεσθαι, διότι καὶ Βάκχος ὁ ἀυτός: id eſt, Bernardo Bertrando Interprete: *Erant præterea Sabi Gens Thraciæ, quod quidem Nomen Bacchus Phrygia Lingua ſignificat. Unde DIONYSIUS SABAZIUS dicitur, id eſt, Bacchus ipſe.* Hinc, quoniam Bacchus Vini Repertor credebatur, *Sabazius* pro *Vino* uſurpatur. Ariſtophanes in Veſpis, Verſu 9:

> Οὐκ ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.
>
> *Non autem Somnus me habet aliquis ex Sabazio.*

LIX. *Bacchus* etiam *Iacchus* [ab Hebræorum יְהֹוָה *Iehova*, cujus Loco ſæpius יָהּ *Iah, Iach* ponitur] nominatur. Lucretius Lib. IV. Verſu 1161:

> *Mammoſa Ceres eſt ipſa ab Iaccho.*

Virgilius Ecloga VIII. Verſu 61:

> *Populus Alcidæ gratiſſima, Vitis Iaccho.*

Claudia-

Claudianus de Proſerpinæ Raptu Lib. I. Verſu 15.

- *Leniſque ſimul procedit Iachus*
*Crinali florens Hedera.* -

LX. *Bacchus* autem, quem etiam *Liberum Patrem* dici conſtat, non tantum *Vini*, ſed omnium *Frugum* Autor habebatur. Id Diodorus Siculus indicat Lib. II. Cap. XXXVIII. Idem Lib. III. Cap. LXIV. de Baccho: *Is*, ait, Interprete Laurentio Rhodomanno, *primus, ut tradunt, ſub Aratri Iugum Boves duxit, cum Manibus Hominum prius Terra exerceretur, multaque alia ad Ruricolationem Commoda artificioſe commentus eſt: ut à nimiis Ruſtici Moleſtiis liberarentur. His tam ingentibus Beneficiis tantum ſibi Favoris conciliavit, ut propenſis omnium Studiis Immortalitati conſecratus, tanquam Deus, & Cultus eximios, & Victimarum Solennitates reciperet.* Seneca de Beneficiis Lib. IV. Cap. VIII. de Iove: *Hunc & Liberum Patrem, & Herculem ac Mercurium noſtri putant. Liberum Patrem: quia omnium Parens ſit, quod ab eo primum inventa Seminum Vis eſt, conſultura per Voluptatem.*

LXI. Neque mireris, *Bacchum* habitum *Plantarum Inventorem*: quoniam Deus à *Sole* non diverſus habebatur. Id docet Diodorus Siculus Lib. I. Cap. XI. Id ex Ariſtotelis, Varronis, Granii Flacci, Euripidis, Alexandri, Orphei Monumentis, plerisque non amplius exſtantibus, oſtendit Macrobius Lib. I. Saturnalium, Cap. XVIII. Ulpianus Rhetor in Enarratione Orationis, quam Demoſthenes contra Midiam ſcripſit: Διονύσȣ ἀδελφὴ ἡ Σελήνη, ἐίπερ τὸν Διόνυσον καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ Ἥλιον καλȣ͂σιν. *Dionyſii Soror Luna: quoniam Dionyſium & Apollinem & Solem vocant.* Dio Chryſoſtomus in Oratione XXXI. ad Rhodios: Καί τοι τὸν μὲν Ἀπόλλω, καὶ τὸν Ἥλιον, καὶ τὸν Διόνυσον, ἔνιοί φασιν ἐ͂ιναι τὸν ἀυτὸν, καὶ ὑμεῖς ο͂υτω νομίζεται. *Et quidem Apollinem, & Solem, & Dionyſium, quidam dicunt eſſe eundem: & vos ita exiſtimatis.*

LXII. Baccho fuit perpetuus Comes SILENUS. Erat ille ſingularis Sapientiæ, pro Sæculo ſuo, cum Poſſeſſor, tum etiam Doctor: cujus Notas genuinas omnes ingenioſa Poëtarum Induſtria pervertit. Harum præcipuas in medium afferemus.

LXIII. Primum, quantò plus Sapientiæ, tantò plus Divinitatis aſſecutus, non *Deus* quidem, tamen *Semideus* habebatur. Credebantur enim Paganis, præter Deos, etiam Semidei: partim Dei, partim Homines: inter utrosque medii: quos peculiari Nomine vocabant *Dæmones*. Statius Lib. IX. Thebaidos, Verſu 376:

*Hoc tibi Semidei Munus tribuere Penates.*

Auguſtinus Lib. VIII. de Civitate Dei, Cap. XIV. de Paganis: *Omnium, inquiunt, Animalium, in quibus eſt Anima rationalis, tripartita Diviſio eſt: in Deos, Homines, Dæmones. Dii excelſiſſimum Locum tenent, Homines infimum, Dæmones medium. Nam Deorum Sedes in Cœlo eſt, Hominum in Terra, in Aëre Dæmonum. Sicut eis diverſa Dignitas eſt Locorum, ita etiam Naturarum. Proinde Dii ſunt Hominibus Dæmonibusque potiores: Homines vero infra Deos & Dæmones conſtituti ſunt, ut Elementorum Ordine, ſic Differentia Meritorum. Dæmones igitur medii, quemadmodum Diis, quibus inferius habitant, poſtponendi: ita Hominibus ſuperius, à quibus præferendi ſunt. Habent enim cum Diis communem Immortalitatem Corporum, Animorum autem cum Hominibus Paſſiones.*

LXIV. Secundô: inter *Semideos* erat *Satyrus*: id eſt, Solitudinis, quam Studia ſæpius requirunt, Amator. Nam in Semideis non tantum *Fauni, Silvani,* & alii, verum *Satyri* etiam fuerunt. Ovidius Lib. I. Metamorph. Verſu 192:

*Sunt mihi Semidei, ſunt Ruſtica Numina, Nymphæ,*
*Faunique Satyrique & Monticolæ Silvani.*

Proinde, quia Rerum naturalium Contemplatoribus in commodum Habitaculum attribuebant maxime Campos Faunis, Silvanis Montes, Satyris Silvas, per has Silenus à cæteris Semideis fuit ſeparatus.

LXV. Tertiò: inter *Satyros* erat *Senex*: id eſt, ſupra cæteros Satyros, nondum Senes, Sapientiâ, quæ potiſſimum Senectuti contingit, præditus. Satyri enim, quos diſtinguebat Ætas, *Iuvenes* quidem *Satyri*, *Senes* autem *Sileni* vocabantur. Pauſanias in Atticis, ſeu Libro I: Τοὺς γὰρ Ἡλικίᾳ τῶν Σατύρων προήκοντας ὀνομάζουσι Σειληνούς. *Nam Ætate Satyrorum maximos appellant Silenos.* Virgilius Ecloga VI. cui Nomen Silenus, [ſub cujus Perſonâ Silonem Præceptorem ſuum deſcripſit] Verſu 14:

*Silenum Pueri Somno videre jacentem.*

Ubi Servius: *Nonnulli*, ait, *Pueri non abſurde putant dictum: quia Sileni, priusquam ſeneſcant, Satyri ſunt.*

LXVI. Quartô: inter *Silenos*, id eſt, *Satyros ſenes*, erat *Princeps*: id eſt, omnium ſapientiſſimus. De quô videantur Cicero Lib. I. Tuſculanarum Quæſtionum, Cap. XLVIII. Plutarchus de Conſolatione, Cap. XLII Ælianus Lib. III. Hiſtoriæ variæ, Cap. XVIII. Nonnus in Dionyſiacis

Lib.

Lib. XXXII. Verſu 258. Maximus Tyrius Diſſertatione XXX. Propertius Lib. III. Elegia III. Verſu 29. Tertullianus de Anima, Cap. II.

LXVII. Quintô: fuit *deformis*, quamvis ſapiens: quia Curam Mentis unicam, nullam Corporis habere Sapientes conſueverunt. Unde ſimul & deformis, & ſapiens nominatur Silenus apud Senecam Lib. III. de Ira, Cap. XXII.

LXVIII. Sextô: fuit *Bacchi* Pueri *Nutritor & Educator*: id eſt, Rerum naturalium, maxime Vini peritus. Iulianus Imperator in Libro de Cæſaribus: de Sileno: Διονύσου τροφεὺς καὶ παιδαγωγός: *Dionyſii Nutritor & Educator*. Aurelius Nemeſianus Ecloga III. cui Nomen Bacchus: Verſu 27:

*Quin & Silenus parvum veneratus Alumnum*
*Aut Gremio fovet, aut reſupinis ſuſtinet Ulnis.*

LXIX. Septimô: fuit *Bacchi* ſemper *Comes ebrius*: id eſt, Sapientiâ plenus, quam Ingenio, dum Vires excitat, diſertam promtamque reddit Vinum. Virgilius Ecloga VI. Verſu 14:

*Silenum Pueri Somnô videre jacentem,*
*Inflatum heſternô Venas, ut ſemper, Iaccho.*

Sidonius Apollinaris Carmine XXII. Verſu 37:

*Baſſaridas, Satyros, Panas, Faunosque docebat*
*Ludere Silenus jam Numine plenus Alumno.*

LXX. Denique fuit *Eques*, Aſino inſidere ſolitus, tanquam & Senex, & ebrius: id eſt, Auditoribus, Laborum patientibus, Stimulorum indigentibus, erectas Aures ad Doctrinas recte capiendas habentibus, ex utroque Sexu, partim Satyris Iuvenibus, partim Bacchis Fœminis, Bacchi Sociis, præfectus. Ovidius Lib. I. Faſtorum, Verſu 443:

*Ecce rudens rauco Sileni Vector Aſellus*
*Intempeſtivos edidit Ore Sonos.*

Lib. IV. Metamorph. Verſu 25:

*- Bacchæ Satyrique ſequuntur,*
*Quique Senex Ferula titubantes ebrius Artus*
*Suſtinet, & pandô non fortiter hæret Aſellô.*

Lib. I. de Arte amandi, Verſu 543:

*Ebrius ecce Senex pandô Silenus Aſellô*
*Vix ſedet, & preſſas continet Arte Iubas.*

*Dum*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0051-4

*Dum ſequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque, petuntque*
*Quadrupedem Ferulâ, dum malus urget Eques.*
*In Caput aurito cecidit delapſus Aſello:*
*Clamarunt Satyri, ſurge age, ſurge Pater.*

Seneca in Oedipo, Verſu 428: ad Bacchum:

*Te Senior turpi ſequitur Silenus Aſello*
*Turgida pampineis redimitus Tempora Sertis.*

LXXI. Hactenus in medium allata ſi paulô curioſius inſpicias: Veritati non repugnare cognoſces, à Sileſiis Paganis, cum in Montis Sabothi Culminibus Deo ſuo, Iovi Sabotho, quem alii Cognomentô vel Sabazium, vel Sabadium, vel Sebadium vocant, id eſt, Baccho, revera Soli, tanquam omnium Frugum, omnium Arborum, maxime Vitis Autori, Sacra fecerunt: Silenum etiam, ſeu ut Deum, ſeu ut Semideum, ſemper ebrium, id eſt, perpetuum Bacchi Cultorem, Honoribus affectum Divinis.

LXXII. Sane ideo Sileſiorum ille Mons, in quô *Sabothum*, id eſt, *Bacchum*, & Bacchi Comitem *Silenum* coluerunt, ipſe non tantum *Sabothus*, verum etiam *Silenus* eſt dictus. Id Franciſcus Faber [cujus Verba mox adducemus §. LXXX.] indicat in Sabotho, Verſu 194: ad quem reperimus hanc Notam: *Silenus & Sabothus idem.*

LXXIII. Hæc, poſt Sileſiorum ad Chriſtum, Anno 965, converſorum Mutationem, vano Exterorum ſeu Mendacio, ſeu Ioco fecerunt Locum: Sileſios ideo Vineis pauciſſimis donatos à BACCHO, quia SILENI Comitis Aſinum devoraverint: hoc eſt, abjectâ Idololatriâ, Bacchum & Silenum venerari deſierint.

LXXIV. Hanc Onophagiæ Sileſiacæ, quantum perſpicere poſſumus, veram Originem, vel ignoraverunt, vel non attenderunt, partim alii, partim etiam noſtrarum Rerum Scriptores. Nam, etſi fabuloſam, tamen decantatam illam Aſini Comeſturam Silentiô præterit Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus. Paucis tangit, cujus Ortum ſimplici veterum Sileſiorum Candori adſcribit, Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. V. Alii plenius quidem commemorant, ſed natam inde putant, quia Sileſiis Mons intra Monſterbergenſem Ducatum Reichſteinenſis, quem Aſinum aureum Vetuſtas nominaverit, ſolis, non exteros admittentibus, maximè fuerit cultus. Georgius Tilenus, Aurimontanus, Monſterbergenſium & Olſnenſium Ducis Conſiliarius, Anno 1590, mortuus:

*Eſores Aſini quondam dixere SILESOS:*
*Cauſa Rei quæ ſit, Quæſtio nata fuit.*

*Mons*

*Mons prope Reichſtenum eſt, Auro diveſque Fodinis:*
*Aureus hinc* A S I N U S *Nomine dictus erat.*
*Has quia* S I L E S I I *ſolum tenuere Fodinas,*
*Eſores Aſini, ſint quaſi, Nomen habent.*

Valentinus Franckius, Annæbergenſis Miſnicus, Conſiliarius Cæſareus, Duciſque Monſterbergenſis intra Diœceſin Francoſteinenſem Syndicus, in Epigrammate, quod in Francoſteinenſi Convivio, Anno 1610, extemporali Facilitate compoſuit:

*Quæritur inter vos: cur Gens antiqua* S I L E S O S
*Dicat Aſellivoros Conditione pares?*
*Reichſtenidum in Terris Auro meliore Fodina*
*Dives, & hæc* A S I N I *Nomine clara fuit.*
*Illam noſtrates, peregrinis undique pulſis,*
*Cum peterent Niſu fervidiore Patres:*
*Inde Voratores Aſini ſunt undique dicti:*
*Tempora quod* S L E S I S *Nomen ad iſta manet.*

Horum Opinioni ſubſcribit Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. IV. Cap. I. Fridericus Lucæ in Sileſiæ Memorabilibus, Parte VII. Cap. IV. Eidem Commento meliorem circumdederis Habitum, ſi, quod accidit revera, poſt Henricum II, Cognomento Pium, Sileſiorum Ducem, Anno 1241, Tartaris Foſſores plurimos in ſuo Exercitu opponentem, cum quibus ipſe trucidabatur, aureum illum Aſinum, ob neglectas collapſasque Fodinas, Sileſiis confectum conſumtumque ſtatueris.

LXXV. Quemadmodum vero *Sabothus* Mons à Sileni Cultu *Silenus:* ita Regio circa Silenum Montem, aut, pro Temporum illorum More, qui vel nullam vel exiguam Nominum Curam gerebat, *Silenſis:* aut prius *Silenenſis,* poſtea Literas duas elidentibus *Silenſis* appellatus eſt. Utrique poſſumus Sententiæ Patronum addere Ditmarum, Martisburgenſem Epiſcopum.

LXXVI. Is, ad veteris Latinitatis Modum, *Regiones* minores, majorum Partes, in quibus non tantum Pagi, ſed Urbes etiam reperiuntur, vocat *Pagos.* Plutarchus in Numa, Cap. XXX: Ἐις μέρη τὴν χώραν διεῖλεν, ἃ πάγȣς προσηγόρευσε. *In Partes Regionem diſtribuit, quas Pagos appellavit.* Unde Pagis annumeravit Tigurinam Helvetiæ Partem Iulius Cæſar de Bello Gallico, Lib. I. Cap. XII. §. 4: *Is Pagus appellabatur Tigurinus. Nam omnis Civitas Helvetia in quatuor Pagos diviſa eſt.* Centum

tum veteris Sueviæ Partes, idem Cæſar ibidem Lib. IV. Cap. I. de Suevis: *Ii centum Pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis ſingula millia armatorum bellandi Cauſa ſuis ex Finibus educunt.* Alſatiam Theodoricus, Francorum Rex, in Literis Anno 724. ſcriptis: ex quibus Caſpar Bruſchius in Monaſteriorum Germanicorum Chronologia de Murbachio in Alſatia ſito quædam refert: *Monaſterium Virorum in Eremô vaſtâ, quæ Voſagus appellatur, in Pago Alſacenſi.* Hos imitatus Ditmarus *Luſatiam* vocat Luzici *Pagum* Lib. VII. *Inde ad Luzici Pagum, in cujus Fronte Urbs quædam Iarina ſtat.*

LXXVII. Hunc in Modum Ditmarus in Chronici, quod, Anno 1017, ſcripſit, Lib. VII. *Regionem,* in quâ Nimecium, quod Nimetzum appellat [à quô ad tertium Lapidem Mons Sabothus invenitur] nominat *Silenſem Pagum.* Nam, cum *Glogoviæ,* quam *Gloguam* vocat, meminiſſet, quò Cæſar Henricus II. adverſus Boleslaum, Miſeconis, Polonorum Ducis, Filium, cum Exercitu pervenerat, ſubjungit hæc: *Inde electas ab Exercitu valido XII. Legiones ad Urbem, eô, quod à noſtris olim ſit condita, NEMETZI dictam, præmiſit, quæ habitatoribus his venturum præoccuparet Auxilium.* De hac Urbe mox addit: *Poſita autem eſt hæc in PAGO SILENSI, Vocabulo hoc à quodam Monte nimis excelſo & grandi olim ſibi indito: & hic ob Qualitatem ſuam & Quantitatem, cum exſecranda Gentilitas ibi veneraretur, ab Incolis omnibus nimis honorabatur.*

LXXVIII. Hoc Ditmari Loco Melchior Goldaſtus in Commentariis de Bohemia Lib. I. Cap. XIV. §. VI. corruptè *Pagum Silenſem* dici ſtatuit: quem opinatur *Sileſenſem* fuiſſe dicendum. At Mons *Sabothus,* quanquam non *Sileſenſis,* ſed primum *Silenenſis,* deinde *Silenſis* cognominatus, potuit Regioni toti circumjacenti Nomen dare: ſi, quam prius *Silenſiam,* poſtea Literam unicam omittens, *Sileſiam* dixerit Antiquitas. Quæ ſi non in dubium vocari merentur: mirâ Nominum Mutatione, *Sileſii,* à *Sabotho* in *Silenum* converſo, acceperunt Nomen ortu Latinum.

## Origo LATINA poſterior.

LXXIX. Alia nobis occurrit Ratio, quemadmodum Mons *Sabothus* circumjacenti Regioni attrahere Nomen *Sileſiis* potuerit. Sacra, quæ *Iovi Sabazio,* Sileſiis *Sabotho,* id eſt, *Baccho* Pagani fecerunt, nocturna fuerunt. Bacchus à Pentheo interrogatus apud Euripidem in Bacchis, Verſu 485:

Τα

Τά δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς?

*Hæc vero Sacra Noctu an Interdiu facis?*

Reſpondet ipſe:

Νύκτωρ τὰ πολλά, σεμνότητ' ἔχει σκότος.

*Noctu plerumque: venerandum aliquid habent Tenebræ.*

Quamobrem Bacchus à Νύξ *Nox*, & τελέω *perficio*, cognominatur Nyctelius. Ovidius Lib. I. de Arte amandi, Verſu 567:

*Nycteliumque Patrem, nocturnaque Sacra precare,*
*Ne jubeant Capiti Vina nocere tuo.*

Et Bacchi Sacra vocabantur *Nyctelia*: ut Servius docet ad Virgilii Lib. IV. Æneidos, Verſum 303.

LXXX. Nox autem ſerviebat peragendis Bacchi Sacris non tantum ob Tenebras, occultandis Actionibus impudicis, quas Bacchi Feſtum cuique concedebat [Livius Lib. XXXIX. Cap. VIII. recenſet] commodas: Verum etiam ob *Silentium*: quod aliorum Operum, non ſine quodam Strepitu peragi ſolitorum, Quies Noctibus, non Diebus, præſtat integrum, erga Deos Incitamentum Devotionis, Reverentiæ Signum: ut, præter alios, Seneca de Vita beata Cap. XXVI. & Servius ad Virgilii Lib. V. Æneidos, Verſum 71, indicant.

LXXXI. Quare ſunt, à quibus Mons *Sabothus*, Habitatoribus deſtitutus, ob Silentium, & perpetuum, & maximum, quod Sileſii Pagani ad Sacra ibidem [ſeu diurna, ſeu nocturna] eò melius Deo ſuo [quisquis etiam fuerit] peragenda impenderint, traditur antiquis nominatus *Silentius*. Franciſcus Faber in Sabotho, Verſu 190:

*Eſt Mons, protractum Cuneo quem Sleſia longo*
*Cingit, inhærentes ipſe arduus undique Colles,*
*Vulturio editior, Famâque & Culmine major,*
*Proſpectat ſuperincumbens: genialis Alumnum*
*Huic* BACCHI SILENUM, *ajunt, Mero & Arte madentem*
*Sacra, ferunt alii, poſuere* SILENTIA *Nomen.*

LXXXII. Inter hos, à quibus *Sabothus* Mons *Silentius* dicitur, eſt Pancratius Vulturinus, Cervimontanus Sileſius, Eremita Monachus Auguſtinianus, in Poëmate, quod Panegyricum Sileſiacum vocat, de Sileſia ejusque primariis Urbibus, apud Patavinos, cum Annus M. D. VI. ageretur, edito: ut Iacobus Schickfuſius Lib. IV. Chronici, Cap. III. refert. Id e-

nim Poëma nobis videre nondum contigit. Iohannes Vechnerus in Elyſiis Silvis, Serie I. Carmine III. de Sabotho, Verſu 50:

*Sed hæc prius fuere: nunc Silentii*
*Sortes ſubire cogitur Mons priſtinas.*

Carmine IV. de eodem Monte, Verſu 22:

*Sed hæc prius fuere: nunc amabili*
*Quiete gaudet, Arce dirutâ, & colit*
*SILENTIUS Senex vetus Silentium.*

LXXXII. Quantum Conjecturâ poſſumus aſſequi: Mons *Sabothus* à Silentio *Silentius* dictus, antea *Silens*, poſtea *Silenſis* cognominabatur. Hinc Regio, cujus in medio Sabothus jacet, primum *Silenſis*, deinde *Silenſia*, denique *Sileſia* videtur appellata: quæ *Sileſiis* dedit Nomen.

## Origo GERMANICA.

LXXXIII. Iam, quid obſtat, quô minus ab eodem Monte *Sabotho* Germanicum Ortu Nomen *Sileſiis* derivare ſuſtineamus? Eos Paganos ibi Sacra peregiſſe, conſtat ex iis, quæ §. XII. & LIII. commemoravimus. Hæc Sacra, cuicunque tot in Gentilium Diis, aut potius ſub Deorum Nominibus Deo, certe in Animæ ſuæ Gratiam Sileſii præſtiterunt. *Anima* vero Germanis antiquis vocabatur SIEL, SYL, SIL. Quod cum nemo facile ſit vocaturus in dubium, Teſtimoniis confirmare ſuperſedemus. Sane Animam, quam hodierna Germania ſuperior *Seele* vocat, priſcum in Modum *Siele*, *Syle*, *Sile* dicendi Mos [ut alios Germanos Silentiô prætercam] etiamnum Sileſiis ſupereſt plebejis, maxime Ruſticis: penes quos vetuſtiſſima loquendi Forma permanſit.

LXXXIV. Quamobrem de noſtra Sententia, ſi [quod extra Controverſiam poſitum videtur] Sileſii Pagani per Cultum Dei ſui, quamvis ſuperſtitioſum, in Monte Sabotho repetitum, conſulere ſuis Animabus ſtuduerunt: an non iis *Sabothus* ideo *Sielensberg, Sylensberg, Silensberg*: id eſt, *Mons Animæ*, nominari potuit: qui Latine ſcribentibus, præſertim Exteris, propterea Mons *Silens*, Mons *Silenſis* appellatus fuerit? Unde Poſteritas circumjacentem Provinciam *Silenſiam*, Incolas *Silenſios*: tandem, illam quidem *Sileſiam*, hos autem *Sileſios* dixerit.

LXXXV. Accedit huc, quod antiquioribus Sileſiorum Linguis *Mons Sabothus*, tanquam *Mons Animæ*, non tantum *Mons Sylens*, aliis *Mons Silens*:

*Silens:* id eſt, aut *Sylensberg,* aut *Silensberg:* verum etiam *Mons Syles,* aliis *Mons Siles:* id eſt, aut *Sylesberg,* aut *Silesberg,* videatur dictus: cujus circumjacentem Regionem, aut *Syleſiam,* aut *Sileſiam,* & in eâ viventes, aut *Syleſios,* aut *Silæſios* Vetuſtas nominare conſueverit. Certè *Sileſios* etiam *Syleſios* dictos, indicant Scriptores, quorum Mentionem, Cap. I. §. XXVII, fecimus.

# CAPUT VI.

## ORIGO quinta SILESIORUM Nominis, Â Sileſiæ CONVENIS, POLONICA.

I.

POrro ſunt, quibus SILESIORUM Nomen à CONVENIS, hoc eſt ab Exterorum in Sileſiam Adventu, natum eſſe judicatur. CONVENAS enim ſuâ Linguâ Poloni SLESACOS appellant: unde prius SLESACORUM, poſtea SLESIORUM, denique SILESIORUM Nomen provenerit. Eum Adventum ſtatuentes duplicem, utrum priori, an poſteriori Originem Sileſiorum Nominis attribuant, hæſitant.

II. Prior incidit in Annum 1109: quo Cæſar Henricus V. à Uladislai Primi, Cognomento Hermanni, Polonorum Principis, Filio notho, Sbigneo, contra Boleslaum Tertium, cognomento Crivouſtum, id eſt, Diſtortum, Fratrem, Patris in Imperio ſucceſſorem, mox defecturæ, mox ſubigendæ univerſæ Poloniæ vanâ Spe irritatus, ob adjutos à Polonis Hungaros Adverſarios ſuos, cum Exercitu magno in Sileſiam, tum Poloniæ conjunctam, Boleslao ſubditam, pervenit: ex quâ, Glogovienſibus, Obſidionem gravem fortiter ſuſtinentibus, à Boleslao in Campis ad Vratislaviam [propter trucidatorum inſepulta Corpora denique Canibus obnoxia, Cognomen Caninorum adeptis] Prælio ſuperatus receſſit.

III. Convenæ, quos Henricus V. Imperator tum in Sileſiam traduxit, fuerunt Germani & Bohemi: de quibus Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Cum maximis Copiis atque Viribus totius Germaniæ & Bohemiæ, Poloniam* [id eſt, Sileſiam] *qua Saxonibus atque Turingis confinis eſt, & nunc Marchiæ Brandenburgenſis ac Sileſiæ Nomen ha-*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0057-9

*bet, ingreditur.* In Germanis fuerunt Saxones, Bavari, Suevi, Thuringi, Franci, Miſnenſes: de quibus Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Tomo I. Lib. IV. ad Annum 1109: cum Imperatoris Henrici V. Polonos debellaturi meminiſſet: *In Ultionem tantarum Injuriarum, Expeditionem Saxonibus, Bavaris, Suevis, Turingis, Franconibus, Miſnenſibus, & aliarum Nationum Gentibus indicit.*

IV. Poſterior incidit in Annum 1158: quô Cæſar Fridericus I. pro Uladislao II. Boleslai III. Polonorum Principis maximo Filio, cui ex Paternis Provinciis, Anno 1140 diviſis, quædam Poloniæ Pars, & Sileſia contigerat, in Exſilium à Polonis pulſo, adverſus ipſius Fratrem, Boleslaum IV. omnes Uladislai II. Terras poſſidentem, ingentes Militum Copias in Sileſiam produxit: quam ſolam, citra Prælium, Bello in Pacem converſo, per amicum Pactum, Uladislao II reſtituit.

V. Convenæ, qui tum in Sileſiam pervenerunt, erant Germani & Bohemi: de quibus Matthias Michovius in Polonorum Chronicis, Lib. III. Cap. XIX: *Fridericus vero hac Reſponſione irritatus, magnas cepit Iras, & cum amplisſimo Exercitu ex Germanis & Bohemis adunato, undecimo Calendas Septembris, Odram transvadendo, Poloniam* (id eſt, Sileſiam) *intravit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. ad Annum 1158: *Fridericus Imperator cum maximis Germanorum omnium atque Boemorum Copiis, per Saxoniam in Polonorum* (id eſt, Sileſiorum) *Fines ingreditur; & ad undecimum Calendas Septembris, Odram Amnem, nemine prohibente, Vado tranſivit.* In Germanis erant Franci, Suevi, Rhenani, Bavari, Saxones, Lotharingi, Miſnenſes, Moravi: de quibus Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Tomo I. Lib. V. ad Annum 1158: *Omnes enim Imperii Vires, & omnem Almanicam Nationem, Francos, Suevos, Rinenſes, Bavaros, Saxones, Lotaringos, Miſnenſes quod magnæ Exſecrationis poterat videri, ipſos etiam Moravos & Bohemos, unius pene Nationis cum Polonis & Linguæ, contra Polonos vidiſſes infeſta Arma induiſſe.*

VI. Propter hos in Sileſiam deductos Convenas, id eſt, ex diverſis Provinciis Germanos, quibus in Supplementum Bohemi acceſſerant, SILESIOS à Polonis SLEZACOS, eſſe dictos, primus, quantum ſcio, Martinus Cromerus Conjecturâ prodidit, editis, Anno 1555, Libris, Polonicam Hiſtoriam complectentibus: quorum Sexto, ad Annum 1163, Mentem ſuam exponit hunc in Modum: *SILESIÆ vero Nomen à Confluxu multorum Populorum inditum eſſe videtur, ſive tunc, ſive aliquantô prius, nempe poſteaquam Sbigneus nothus Uladislai primi Principis Filius, cum Boe-*

*Boemis & Saxonibus eam Oram invaſit, ita ut SILESII ſive SLEZACI, quaſi CONVENÆ dicantur Lingua Polonica.*

VII. Huic Conjecturæ poſtea ſubſcripſerunt, Franciſcus Faber [Anno 1565 mortuus] in Sabotho, Verſu 1082:

*- Poſtremum, quod plurima Turba frequensque*
*Undique certatim confluxerit ADVENA, pro Re,*
*SLESIA noſtra novum tenet hæc in Sæcula Nomen.*

Caſpar Peucerus in Ioannis Carionis Chronico, per Philippum Melanchthonem aucto, Lib. V. de Sileſia: *Nomen Gentis vel veterem Appellationem Quadorum interpretatur, vel collectitiam Multitudinem ſignificat, Nomine à CONVENIS facto, quos Sbigneus nothus, Uladislai primi Filius, accitus contra Fratres à Polonis Exſulibus, adduxit in Sileſiam ex diverſis Gentibus contractos.* Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. III: cum alias Sileſiorum Nominis Origines protuliſſet: *At illa Martini Cromeri, Rerum Polonicarum Scriptoris mehercle accurati Conjectura, quam & Franciſco Fabro, Viro ac Poëtæ optimo, Reipublicæ Vratislavienſium quondam à Secretis, in eo, quod Sabothum inſcripſit, pererudito & examuſſim eleganti Poëmate placuiſſe video, an non veracior? SILESIÆ, [& magis ſi SLESIAM ſcribas, quô Modo fere in antiquis Monumentis] à Confluxu multorum Populorum inditum: Sive tunc, cum Uladislai Filii, Henrici IV. Imperatoris Nepotes, inſtante Precibus atque Minis apud Boleslaum, Cognomine Criſpum, Ethnarcham Poloniæ, Friderico Barbaroſſa Imperatore, cum is ab Italica Expeditione, captô eversôque Mediolanô, revertiſſet, revocati hanc Poloniæ Partem à reliquo ſeparatam Corpore, in ſuam Ditionem acceperunt: Sive etiam aliquantô prius, nempe poſteaquam Sbigneus nothus Uladislai I. Filius eam Oram invaſit: ita ut SILESII ſive SLEZACI quaſi Convenæ dicantur Lingua Polonica. Annon, inquam, hæc Conjectura Vero, certe Verbo magis aſſidet? Non facile pro certo dixerim: & perquirant alii, qui Linguæ Polonicæ non ignari. Ex hac enim ſola Nominis SILESIÆ, ut & Urbium vetuſtiorum, Rationem petendam eſſe, alte mihi ſedet. Quod qui negare audebunt, & mero Meridie lucere, per me quidem negent.*

VIII. Hanc de Sileſiorum Nominis Origine Sententiam repudiat Ioachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus, ad Annum 1163: *Quidam,* inquit, *ex Scriptoribus Polonicis referunt, non multô ante hanc Ætatem fuiſſe natum Nomen SILESIÆ, & fingunt huic Etymon, quod dicti ſint SILESII quaſi SLEZACI, id eſt Convenæ: quia à Sbigneo notho primum, deinde ab his Principibus ducti ſunt varii & diſſimiles Populi in hanc Regionem,*

*nem, Saxones, Bohemi & alii. Verum, cùm multa repugnent, ego non aſſentior.* Cur eam Sententiam improbet, nec ibi, nec alibi adducit.

IX. Nos hanc Sileſiorum Nominis Originem cur approbare non ſuſtineamus, afferemus Rationes, quibus Martini Cromeri Conjecturam deſtruamus. Ille Sileſiis, quaſi proprium Nomen ad Annum vel 1109, vel 1158, defuerit, tum demum, propter Convenas exteros, intra Sileſiam conſpicuos, Appellationem, non veterem SILESIORUM corruptam, ſed inventam SLEZACORUM attributam eſſe judicat. Ergo Sileſiis, ab Anno 550, quò Slavi Germaniam, in eâque Sileſiam invaſerunt, partim QUADORUM, partim LYGIORUM, quorum Pars ELYSII fuerunt, vel ademtum, vel nondum in SILESIORUM mutatum erat, quod Anno vel 1109, vel 1159, à Polonis poſſet in SLEZACORUM converti Nomen?

X. Numquid autem circumſpectioribus Rerum & Temporum Æſtimatoribus credibile videri poteſt, Sileſios, licet, ab Anno 550, Slavis addictos, tamen poſt reſtauratum in Occidente Romanum Imperium, non tantum Caroli Magni, verum etiam ſuccedentium Cæſarum invictis Armis Slavicæ Poteſtati ereptos, veteri Germanorum Corpori reſtitutos, ad Annum vel 1109, vel 1158, ultra Sæculum aut quintum, aut ſextum, peculiari caruiſſe Vocabulô, quô diſtinguerentur ab aliis, tum Germaniæ, tum Poloniæ, cujus Pars erant, Populis?

XI. Certè Sileſii, quanquam generali Polonorum Nomine tum comprehenſi, quoddam vel habebant, vel accipiebant ſpeciale Nomen, quô ipſi, tanquam Germani, à Polonis, tanquam Slavis, ſecerni poſſent, cum Provinciarum Polonicarum circiter Annum 570, poſt Lechum I. Polonorum Ducem mortuum, Diviſio prima fieret: & Anno 750, poſt Vendam, Polonorum Ducem, exſtinctam, cum Diviſio ſecunda fieret. Præterea Sileſiorum Nomen, Anno circiter 935 & 965, Populis cognitum: jam Anno 1017, 1082, & 1040, Scriptoribus adhibitum reperiri monſtrabimus Cap. XI. §. 4. 9. 12. 13. 14.

XII. Deinde minus probabile videtur, Sileſios Vocabulo *Slezacorum*, id eſt, *Convenarum*, à Polonis deſignatos ob diverſarum Nationum in Sileſiam Conventum: quas in eam Cæſares, Henricus V. Anno 1109, & Fridericus I. Anno 1158, attulerunt. Nam prioribus Sæculis aliquoties Poloni jam cognoverant, Sileſiam diverſiſſimis Gentibus, aut pari aut majore Numero impletam, quas eò Imperatores Romanorum Germanici protraxerant, omnium primus Carolus Magnus, cum eam peregrino Slavorum Dominio ſubtractam, avito Germanorum Imperio, circiter Annum 805,

tribu-

tributariam redderet: id quod in Libro, qui Res Sileſiorum cum Polonis conjunctorum recenſebit, pleniorem in Modum commemorabimus. Quô magis Admirationem ſubit, non ante potius, quam longè poſt demum *Sileſiis*, ob diſſimillimorum Germanorum in Sileſia Præſentiam, â Polonis Nomen *Slezacorum* eſſe datum.

XIII. Accedit, quod Sileſii parum congruenter, propter adeo multos in Sileſia Convenas, quos non ut Habitatores, ſed ut Hoſpites, imò, ut Bellatores Hoſtes, ad exiguum Tempus inviti receperant, ipſimet *Slezaci*, hoc eſt *Convenæ*, ſint â Polonis nominati. Non enim reperimus, ab his Convenis exteris Sileſiam vel aliquando ſubactam, vel diu inſeſſam fuiſſe: quos eodem anno, quô introduxerat Imperator, cum Henricus V, tum etiam Fridericus I, abduxit. Cœterum ex iis, ob pauciſſimos aut Fugâ dilapſos, aut Cuſtodia retentos, aut aliam ob Cauſam in Sileſia hærentes, univerſam *Sileſiorum* Gentem, *Slezacos*, tanquam *Convenas*, dicere, quis Prudentiæ, quis Æquitati convenire dixerit?

XIV. Quod ſi tamen, *Sileſios* hac Occaſione Polonis *Slezacos* eſſe dictos admiſeris: Vero magis conſonum in Modum contendes, ob illam exterorum Germanorum in Sileſia temporariam Societatem, Nomen *Sileſiis* antea poſſeſſum tandem in *Slezacorum* abiiſſe Vocabulum. Quamobrem in Martini Cromeri Conjecturâ Momentum exiguum, imò nullum eſt ponendum.

XV. Nam Imperator Henricus II, contra Boleslaum I, Polonorum Principem (quem, ut quidam referunt, Anno 1001, Cæſar Otto III, Regem Polonorum creavit) Expeditionem Anno 1017, in Sileſiam ſuſcepit: ubi Glogoviam Obſidione cinxit. Hujus Expeditionis Res in aliorum, maxime Polonicorum Hiſtoricorum Monumentis, aut Silentiô præteritas, aut curſim tactas, quibus ipſe Spectator interfuit, Ditmarus, Miſnenſium Martisburgenſis Epiſcopus, in Chronici, quod eodem Anno 1017 ſcripſit (Anno 1018 mortuus) Libro VII, Diligentia ſingulari commemorat. Ibi â Polonis, quos *Polenios* Libr. IV. VI. VIII. appellat, *Sileſios* diſtingvit: Quorum *Regionem Sileſiam*, (Vocabulo etiam vetuſtis Latinis Autoribus uſitatô, quo Regionem indicant) *Pagum Silenſem*, ſed, quantum colligi poteſt, ante multos Annos eandem Appellationem conſecutum, nominat. Jam ſi non primum Anno 1017, *Sileſii* aut *Silenſes*, aut *Silenſii* ſunt vocati. (ex quibus unâ Literâ demtâ, *Sileſii* potuerunt fieri:) cur, ob multiplicium Nationum Germanos & Bohemos in Sileſia Convenas, demum Anno vel 1109, vel 1158, vel poſt eos Annos, â Polonis *Slezacos*, deinceps ab aliis *Sleſacos*, poſtea *Sleſios*, & denique

*Silesios* eſſe dictos, credendum ſit, nos idoneam reperire Cauſam non poſſumus. Videantur quæ proferemus cap. XI.

# CAPUT VII.

## ORIGO ſexta SILESIORUM Nominis, A Silesiæ Convenis, BOHEMICA.

I.

SILESIA, prius POLONIÆ conjuncta, non Armorum, ſed Pactorum Iure, ad BOHEMIAM acceſſit. Hujus Regibus, OTTOCARO quidem Ducatus, Anno 1254, TROPPAVIENSIS, poſt ejus Ducem Mieslaum II, eodem Anno mortuum, per Vim occupabatur: at IOHANNI Lucenburgico Ducatum, Anno 1327, RATIBORIENSEM Lesco: COSLENSEM Uladislaus: OPPOLIENSEM Boleslaus: TESCHINENSEM Caſimirus: OSUENTIENSEM Iohannes: GLOGOVIENSEM & OLSNENSEM Conradus: STEINAVIENSEM Iohannes: Anno 1331, LIGNICENSEM, BREGENSEM, GROTKAVIENSEM Boleslaus, Wenceslaus, Ludovicus, Sileſiorum Duces, ultro ſubjecerunt: Anno 1337, Ducatus VRATISLAVIENSIS, poſt ejus Ducem Henricum VI, eodem Anno defunctum, Teſtamentô adjungebatur: Anno 1341, Ducatum MONSTERBERGENSEM Boleslaus in Pacis Conditionibus obtulit: CAROLO IV. demum, Anno 1368, Ducatus SUIDNICENSIS & IAVORENSIS, poſt utriusque Ducem Boleslaum, eodem Anno exſtinctum, tanquam Hæreditas promiſſa, recipiebatur. De quibus SILESIÆ Partibus, à POLONIA ſeparatis, ad BOHEMIAM translatis, agunt, præter Wenceslaum Hagecium & Martinum Boregkium in Bohemorum Chronicis, Matthias Michovius de Polonorum Rebus Lib. II. Cap. LXVI. & Lib. IV. Cap. XV. & XVI. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XXIX. Cap. XXX. Lib. II. Cap. I. Cap. XXX. Cap. XXXVIII. Lib. III. Cap. XVIII. Stanislaus Lubienskius de civili Motu in Polonia, Lib. IV.

II. Poſt hæc in Sileſiam, Bohemico Regno addictam, ſubinde quidam ex vicinis Provinciis, Poloni, Misnenſes, Pomerani, Marchici & alii

alii tranſierunt, ibique fixerunt ſedem. Inde SILESIIS, antea POLONORUM Nomine comprehenſis, â Bohemis, patrio Sermone formatum SLESITARUM, id eſt, *Repentium* Nomen inditum eſſe, quidam commemorant. Iohannes Dubravius, in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII: *Locus monet, ut de hac ipſa Syleſia, quæ jam pridem tota ſub Imperio Boiemorum conſtituta eſt, pauca dicamus.* Ibidem poſt quædam: *Tandem Lechus, Frater Czechii, de quibus ante dictum eſt, in illam Regionem penetrans, Poloniam campeſtri Planicie, quam vernacula Lingva Pole dicimus, appellavit. Duravitque illi hoc Vocabulum, quamdiu ſub Ditione Polonorum erat. Poſtremo Boïemi illam nacti, cum vidiſſent, præter Polonos, Misnios quoque ac Pomeranos, Marchitasque & aliam miſcellaneam Turbam illo velut inſerpere, paulatimque irrepere, â ſerpendo SLESITAS nativo ſuo Sermone appellare cœperunt. Nunc SYLESITÆ vocari malunt, Patriamque SYLESIAM.* Cum Dubravio conſentit Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, Parte I.

III. At Inventio Sileſiorum Nominis, quam Ioannes Dubravius indicat, quemadmodum confinis eſt ei, quam Martinus Cromerus attulit (de qua præcedens caput agit) ſic pari Cenſuræ non præter Cauſam ſubjici meretur.

IV. Nam Sileſia, cum ſe Bohemorum Regibus ſponte ſubmitteret, Præſidium pollicentibus contra *Polonos Sarmatas*, quorum grandioribus Inſolentiæ Documentis *Poloni Germani*, hoc eſt, *Sileſii* graviter irritabantur, quanquam crebris Hoſtium Irruptionibus non nihil attrita, non tamen ideo devaſtata Regio fuit, multis & Ducibus & Populis, §. 1. recenſitis, adhuc inſtructum in Germaniæ Finibus adverſus Hoſtes Propugnaculum. Quare, licet illis Temporibus in Sileſiam, potiſſimum inclareſcente Iohannis Lucenburgici, Bohemorum Regis, ad Procerum & Civium Animos ſub Imperium ſuum attrahendos ſingularis Artificis, leniſſimo Gubernaculo, quibusdam ex Vicinia peregrinis Sedem transferre placuerit: non tamen Advenarum tantus aut fuit, aut eſſe potuit Numerus, ut, ob eos in Telluris ſuæ Conſortium admiſſos, par eſſet, ipſis Receptoribus SILESIIS Nomen SILESITARUM, id eſt, *Irrepentium* imponere, quod receptis potius erat conferendum.

V. Præterea, Iohannes Dubravius, cum SILESIOS, ob multiplices Advenas, in Iurium Suorum Societatem aſſumptos, â Bohemis SLESITAS vocatos refert: unde poſtea SYLESITÆ vocari maluerint, vehementer errat. Nam SILESII jam Anno 1017, aut SILENSIUM, aut SILENSIORUM: Anno 1139 & 1140, ipſum SILESIORUM gerebant

bant Nomen: ut ex iis, quæ Cap. XI. in medium afferemus, conſtabit. Non igitur SILESIORUM Nomen Sileſiis demum poſt Annum 1254, 1327, 1331, 1337, 1341, 1368, quorum Annorum Intervallô Sileſia in Bohemiæ Conjunctionem pervenit, eſt impoſitum. Hinc potius colligas, ob Alienigenarum in Sileſia Conventum, â Bohemis eſſe priſcum SILESIORUM Nomen, aut ſuperaddita SLESITARUM Appellatione multiplicatum, aut potius eâdem corruptum: non autem Bohemicum SLESITARUM Vocabulum tandem in SYLESIORUM, unâque mutatâ Literâ, converſum in SILESIORUM Nomen.

# CAPUT VIII.

## ORIGO Septima SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Populo QUADIS, SLAVICA.

I.

QUidam SileſiorumNomen ab antiquiſſimo Sileſiæ Populo QUADIS deductum credunt. Quamobrem, an & quomodo Germanicum *Quadorum* in Slavicum *Sileſiorum* transmutatum ſit Nomen, ut pateat: quis veteribus Germanis Quadus audiat, commemorabimus.

## QUADI Germanis Facundi.

II. Hanc Quadorum Notionem, quâ pro facundis haberi poſſunt, quia nemo, quantum ſcio, in medium protulit, ê Principiis ſuis tantô magis evidenter ſum expoſiturus. Germanis veteribus QUIDO eſt DICO. Willeramus, Martisburgenſis Abbas, [ut Ioannes Trithemius in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. CCCXLIV, refert, Anno 1070: & in illuſtrium Virorum Catalogo, Cap. LV, narrat: Anno 1080. clarus] in Commentario, quem in Salomonis Canticum Canticorum, partim Latinè, partim Germanicè ſcripſit: [cujus Commentarii quoddam Specimen Bonaventura Vulcanius in variarum Lingvarum Speciminibus, Anno 1597, edidit: totum Opus in Vratislavienſium Eliſabetana Bibliotheca reperitur] ad Caput VII, Verſum IX: *Ih QVIDO abo daz daz billih ſi:* hoc eſt, *Ich Sage aber, das das billich ſey.*

III. QUIS eſt DICIS. Teſtis eſt nobis Otfridus Monachus in Epi-

Episcopatu Spirenſi Weiſſenburgenſis, Natione Germanus: quem Anno 870 claruiſſe, Ioannes Trithemius in Catalogo de Viris illuſtribus Cap. XIX: & de Scriptoribus Eccleſiaſticis Cap. CCXC. rectiſſimè narrat. Id enim Otfridus ipſe nos docet carmine, quod ad Imperatorem Ludovicum II. Lotharii Filium (Anno 875 mortuum) compoſuit. Hic Evangeliorum, quæ Rhythmis, Germanico, non Weſtphalico, ſed Francico, pro temporibus illis elegantiſſimô Sermone ſcriptis, Poſteritati reliquit: Matthias Flacius Anno 1571 emiſit: Lib. IV. Cap. XIX: cum Sacerdotum Princeps Chriſtum interrogaviſſet: Verſu 99. & 100:

*Thaz thu unſih nu giduauuis,*
*Oba thu Gotes Sun ſis.* Hoc eſt:
*Das du uns nun macheſt geuuis*
*Ob du Gottes Sohn biſt.*

Reſpondet Chriſtus Verſu 106:

*Ich bin iz retho, ther thu QUIS.* Hoc eſt:
*Ich bin es recht, der du SAGEST.*

IV. Pro QVIS reperitur etiam QVIST. Willeramus ad Salomonis Canticum, Cap. I. Verſum XV: *Du QVIST, das ich ſcone ſi:* Hoc eſt: *Du SAGEST, das ich ſchoen ſey.*

V. Unde QUIT eſt DICIT. Otfridus Lib: III. Cap. XII. Verſu 13:

*Uuas QUIT von mir ther Liut ſtam?* Hoc eſt:
*Was SAGT von mir der Leuthe Stam?*

Lib. III. Cap. XVII. Verſu 29:

*Selbo Moyſes er QUIT.* Hoc eſt:
*Selber Moſes er SAGT.*

Lib. V. Cap. XIX. Verſu 42:

*Ther Gotes Foraſago QUIT.* Hoc eſt:
*Der Gottes Vorſager* [Prophet] *SAGT.*

VI. QUAD eſt DICEBAT. Otfridus Lib. IV. Cap. XX. Verſu 88:

*Thu QUIS, QUAD er, the ih Kunig bin.* Hoc eſt:
*Du SAGST, SPRACH er, das ich König bin.*

Lib. I. Cap. XXVII. Verſu 37:

*Ni bin ih Chriſtus, QUAD er zi in.* Hoc eſt:
*Nich bin ich Chriſtus, SPRACH er zu ihnen.*

Lib. II. Cap. IV. Verſu 93:

*Tho QUAD Chriſtus, giſcriban iſt.* Hoc eſt:
*Da SPRACH Chriſtus, geſchriben iſt.*

Cap. XIX. Verſu 5:
*Ih, QUAD, afur ſagen iu.* Hoc eſt:
*Ich, SPRACH, aber ſage euch.*

Lib. III. Cap. XX. Verſu 117:
*Ih ſagen iu, QUAD er, thaz iſt uuar.* Hoc eſt:
*Ich ſage euch, SPRACH er, das iſt war.*

Willeramus ad Caput VII. Verſum IX: *Sponſus der QUADH.* id eſt, *Sponſus der SAGT.*

Pro QUAD reperimus etiam QUÆD uſurpatum. Alfredus, Occidentalium Saxonum in Anglia Rex, in Præfatione, quam Legibus ſuis præmiſit, §. I: *Drichten wæs ſprecende dæs word to Moyſe, and thus QUÆD:* id eſt, *Der Herr war ſprechende das Wort zu Moyſe, und alſo SPRACH.*

VII. QUATUN, pro QUATEN, eſt DICEBANT. Nam ibi UN pro EN ponitur. Otfridus Lib. I. Cap. XVII. Verſu 41:
*Uuir ſahun ſinan Sterron.* Hoc eſt:
*Wir ſahen ſeinen Stern.*

Lib. III. Cap. XIV. Verſu 109:
*Thie Siechun quamum alle.* Hoc eſt:
*Die Siechen Kamen alle.*

Lib. IV. Cap. XXII. Verſu 58:
*Thaz Sie ſulih QUATUN.* Hoc eſt:
*Das Sie ſolche SAGTEN.*

Lib. V. Cap. IV. Verſu 11:
*Thaz uuir hiar fora QUATUN.* Hoc eſt:
*Das wir hier vor SAGTEN.*

VIII. QUADUN pro QUADEN eſt DICERE. Otfridus Lib. IV. Cap. IV. Verſu 120:
*Thie ſelbun Burgliuti*
*Uuer iſt, QUADUN, therer Man?* Hoc eſt:
*Die ſelben Burgleuthe* [Stadtleute]
*Wer iſt, SAGEN, der Man?*

Cap. XIX. Verſu 59:
*QUADUN, ſie iz gehortin.* Hoc eſt:
*SAGEN, ſie es gehoeret.*

Cap. XX. Verſu 41:
*QUADUN, er ni uuolti.* Hoc eſt:
*SAGEN, er nicht wolte.*

Cap. XXII. Verſu 53:

*Tho* QUADUN *thie Euuarton.* Hoc eſt:
*Da* SAGEN *die Prieſter.*

IX. Ut in his UN pro EN, id eſt, U pro E: Sic in aliis O pro E uſurpatum invenitur. Ita ponit Otfridus in Evangeliis ſuis *Alto* pro *Alte*, Lib. I. Cap. XV. Verſu 49: *Worto* pro *Worte*; Ibidem, Cap. XXII. Verſu 74: *Willo* pro *Wille*, Lib. III. Cap. IV. Verſu 61: *FRANKO* pro *FRANKE*, in Carmine ad Cæſarem Ludovicum II, Verſu 25:

*Uuanta er iſt edill FRANKO.* Hoc eſt:
*Wann er iſt* [ein] *edler FRANKE.*

Ibidem, Verſu 34:

*So iſt ther Selbo FRANKO.* Hoc eſt:
*So iſt der ſelbe FRANKE.*

X. Hinc etiam ON pro EN paſſim reperitur. Sic adhibet Otfridus *Brunnon* pro *Brunnen*, Lib. I. Cap. XXVI. Verſu 6: *Namon* pro *Namen*, Ibidem Cap. XXVII. Verſu 49: *Selon* pro *Selen*, Ibidem Cap. XXVIII. Verſu poſtremo: *Steinon* pro *Steinen*, Lib. III. Cap. XVII, Verſu 32: *FRANKON* pro *FRANKEN*: Lib. I. Cap. I. Verſu 64. 112. 205. & cum *FRANKONO* pro *FRANKONE* dicit in Carmine ad Cæſarem Ludovicum II. Verſu 3. & 4:

*So FRANKONO Kuningſcal:*
*Ubar FRANKONO Lant.* Hoc eſt:
*Wie* [ein] *FRANKENE Kœnigſol:*
*Uber FRANKENE Land.*

XI. Quemodmodum vero Germanis olim FRANKO pro FRANKE, id eſt, FRANKUS: & FRANKON pro FRANKEN, id eſt, FRANKI vocabantur: ita, quin Germanis olim QUADO pro QUADE, id eſt, QUADUS: & QUADON pro QUADEN, id eſt QUADI fuerint nominati, non videtur eſſe dubitandum.

XII. Cœterum, Germaniam Populis ſuis ab Ingeniorum Morumque Proprietatibus deſumta Nomina quondam impoſuiſſe, non fugit Rerum Germanicarum peritos Viros. In Exemplum nobis ſunt, quos Libertatis & ſtudioſos, & participes Antiquitas nominauit FRANKOS, id eſt LIBEROS. Id docent Iohannes Turpinus in Cæſaris Caroli Magni Hiſtoria Cap. XXXI: Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Rapſodia, Enneade X. Lib. III. Albertus Krantzius in Metropoli, Lib. IV. Cap. XIII: Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. IV. Franciſcus Hotomannus in Franco-Gallia, Cap. V: Ioannes Bodinus in Hiſtoriarum

Me-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0067-5

Methodo, Cap. IX. Hadrianus Iunius in Bataviæ Hiſtoria, Cap. IX. Ioannes Limnæus in Regni Francici Notitiâ, Lib. I. Cap. I.

XIII. Parem in Modum â Germanis QUADOS, quod eſſent Sprecher, Sager, Redner, id eſt, Locutores, Dictatores, Oratores, aut, ſi mavis, FACUNDI, Nomen ſuum accepiſſe, non abhorret â Verô: cui Sententiam eam reddunt hactenus prolata conformem. Hunc vero ſi ſpectes Ortum Nominis Quadorum, equidem aut noſtræ, aut exteræ Linguæ non poſſum reperire Vocem, cujus Ope ad ultimum ex QUADO fiat SILESIUS.

## QUADI Germanis ſunt IRACUNDI.

XIV. Alia nobis occurrit Quadorum Nominis Origo: quam ſequentes putant Germanis QUADOS appellatos fuiſſe MALOS. Sane *Quadus* Germanis eſt *Malus*, id eſt, *Noxius*. Matthæus Cap. VI. 13. Lucas Cap. XI. 4: ſecundum Interpretationem Belgicam: *Maer verlos du ons von QUAEDE.* Id eſt: *Sondern erloeſe du uns von dem BOESEM.* Secundum Interpretationem Friſicam, quam Bonaventura Vulcanius exhibet in variarum Linguarum Speciminibus: *Din fry uns vin it QUÆD.* Hoc eſt: *Denn frey uns von dem BOESEM.* Autor Hymni ueteris, quem Gothofredus Helwigius Cantilenis Vratislaviæ Sileſiorum, intra Georgii Baumanni Officinam, Anno 1644: editis adjunxit: *QUAT* [hoc eſt, Bœſes] *von niemand gedenck, noch ſprich.*

XV. Interdum *Quadus* Germanis eſt *Malus*, id eſt, *Pravus*. Autor Interpretationis Belgicæ Bibliorum: apud Eſaiam V. 20: *Wee den genen, die dat QUÆT goet, ende dat goet QUÆT heten.* Hoc eſt: *Wehe den jenigen, die das BOESE gut, und das gut BOESE heiſſen.* Pſalmo XCII. 8: *De Godloſen grœnen ghelyck dat gras, ende de QUÆT. Doenders bloepen alle.* Hoc eſt: *Die Gottloſen grunen gleich dem gras, und die Ubelthæter blühen alle.* Matthæi XXII. 10: *Ende de Knechten gingen uut op de Straten, ende brachten te ſamen, wien ſy vonden, QUADE ende goede.* Hoc eſt: *Und die Knechte gingen aus auf die Straſſen, und brachten zu ſammen, wie ſie funden, BOESE und gude.*

XVI. Germanis autem *Quadus*, id eſt, *Malus*, non ſemper *Pravus*, ſed interdum etiam *Iracundus* eſt.

XVII. Is Vocis Uſus quondan fuit Saxonibus: quibus Bello ſtrenuus Dux Otto, A. C. 1394, mortuus, cognominabatur QUADUS: *Der Quade*, Hoc eſt: *Der Bœſe*: de quo agunt Henricus Buntingus in Brunſuicenſium Chronico, Parte III. Philippus Iacobus Spenerus in Sylloge Genealogico-Hiſto-

Hiſtorica, de Familia Brunſuicenſium Ducum. Quin adhuc Saxonibus eſt: de quô Reinerus Reineccius in Hiſtorico Syntagmate, Parte III, Regno XXXVII: quod eſt Germanicum: *Tranſeo ad Nomen QUADORUM: cui ſignificatum ineſt Iracundi, ferocis, immitis: idque nec dum in Saxonica Dialecto exſpirauit.* Imo ipſi quoque Sileſii, Quadorum Poſteri, nondum deſierunt, *Iratum* Linguâ ſuâ nominare *Malum*: quibus etiamnum, Einen *Bœſe* machen, pro, einen *zornig* machen, id eſt, aliquem Iratum facere, dicitur.

XVIII. Hinc, ad Germanicæ Vocis Indolem, Malus quidem, at duplicem in Modum, id eſt, & *Pravus* & *Iracundus* haberi poteſt, qui nominatur hodieque Saxonibus inferioribus, *Ein Quader Duvel*: Sileſiis *Ein Bœſer Teuffel*: id eſt, *Quadus Diabolus*: ut ſit, aut, *Ein arger Teuffel*: id eſt, *Pravus Diabolus*: aut, *Ein zorniger Teuffel*: id eſt, *Iracundus Diabolus*.

XIX. Ideoque nihil obſtat, quô minus hæ duæ Quadorum Notiones, quarum alterâ *Pravus*, alterâ *Iracundus* denotatur, nihil Repugnantiæ mutuæ continentes, in unam Gentem cadere ſimul poſſint, quam & Pravitas & Iracundia nobilitet.

XX. Cur autem Quados, Sileſiæ Populum, Germanis olim *Malos*, id eſt, *Pravos* cenſeamus dictos, equidem Cauſam nullam reperire poſſum. Hos enim Bellicoſos quidem, non vero præ cæteris Germanis, pro communi Sæculorum ſuorum, in Moribus plus Vitiorum, quam Virtutum alentibus, Barbarie, *Pravos* exſtitiſſe, priſca Monumenta commemorant. Certè Viris *Bellicoſis*, præſertim conſpectiorem in Modum ſtrenuis, tantam cum *Ferocibus* Convenientiam eſſe conſtat, ut propterea Romanorum Auxiliatores Tacitus in Hiſtoriarum Lib. II. Cap. XXIV. §. 3. Scythas Curtius Lib. VII. Cap. IX. §. 18: Indos idem Lib. IX. Cap. IV. §. 16: *Ferociſſimos*, id eſt, *Fortiſſimos* appellandos judicaverit.

XXI. Quare tutius eſt, ut ob *Iracundiam* præcipue militarem, quam veteres Philoſophi, ut Cicero in Academicis Quæſtionibus, Lib. IV. Cap. XLIV. refert, *Fortitudinis quaſi Cotem eſſe dicebant*, Sileſiæ Populum Germanis *Malos*, id eſt, *Quados* eſſe dictos ſtatuamus.

XXII. Hæc, cum ita ſint, eorum Sententiæ quoddam Præſidium afferunt, qui putant Sileſios inter Majores ſuos Quadis debere Nomen ſuum. QUADOS enim MALOS patriâ Lingvâ dictos, ideo â Slavis, Anno poſt CHRISTI Nativitatem 550, cum Germaniæ Partem maximam occuparent, in Sileſiam quoque progreſſis, Occaſione Vocabuli ſui ZLE, quô MALUS denotatur, eſſe nominatos ZLEZIOS. Unde Conjectura Vires capit, novum hoc Quadorum Nomen, qui tum quidem ſuperio-

H rem,

rem, non autem univerſam Sileſiam tenebant, mox ad reliquos etiam Sileſios extenſum, à multis, partim Slavis, partim Sermonem Slavicum, ſeu Germanico, ſeu Latino miſcentibus, per illa Tempora, quæ nullam vel exiguam Linguæ Culturam reſpexerunt, miris Modis [quos primum Caput recenſuit] eſſe corruptum: nihilô ſecius tamen à quibusdam Scriptoribus, cum lenioris Soni, tum elegantioris Verbi ſtudioſis, Z in S mutantibus, ZLESIOS in SLESIOS: & tandem omnes Aſperitatis Reliquias eradicantibus, Styloque Romano ſuum penitus accommodantibus in SILESIOS eſſe converſos.

XXIII. Hanc Sileſiorum Nominis Originem Slavicam, etſi ſpecioſam, rejicit tamen, ipſe Slavonicarum Linguarum, Hungaricæ, Polonicæ, Bohemicæ gnarus Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XXXI. *QUADORUM ac SILESIORUM*, ait, *quos Germani die Sleſinger ſive Schleſinger vocant, Nomina eandem Rem ſignificare putant. QUAAT namque Oceani Accolis Germanis idem eſt, quod Slauorum Genti ZLE, id eſt, MALUM ſeu improbum: quaſi Slavi in has Oras advecti Germanicum Vocabulum in ſuam Linguam commutarint. At hoc primò demonſtrandum erat: Polonorum, Slavicæ Gentis, SLASKO, ac Czechorum ſive Bojohæmorum, itidem Slavicæ Gentis, SLISKO, quibus Vocabulis Terram SILESIAM appellant: illorum SLESAZY, horum SLIZACY, quibus Vocabulis Gentem SILESIORUM indigetant: à Voce ZLE deducta eſſe. Quod nemo unquam, neque Polonus, neque Bojohæmus, neque alius quisquam Slavici Generis Homo conceſſerit.*

# Caput IX.

## Origo Octava SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Populo LYGIIS, GERMANICA.

I.

ANtiquam Sileſiam Germani, præter QUADOS, tenuerunt LYGII, quorum Pars ELYSII fuerunt: de quibus agemus in Libro de Sileſiorum Majoribus.

II. Quare non deſunt, quibus SILESIORUM in SYLESIORUM converſum, ideo ad LYGIORUM refertur Nomen, quoniam, ut cre-

credunt, Lygiis ſuum referunt acceptum ELYSII, â quô Sileſiorum cenſent ſubortum Nomen. Hanc Originem Poeta vetus reſpicit, cujus Epigramma in quodam Sileſiæ Chronico MSto invenimus:

*ELYSIO LYGIUS dedit indelebile Nomen:*
*SYLESIUS LYGIO debuit ergo ſuum.*

Nec ab eâ Sententiâ videtur alienus eſſe Philippus Melanchthon in Regionum & Gentium Vocabulis: de Lygiis: *Sonus Appellationis alludit ad Sileſiæ Nomen, etſi hic Tacitus etiam Elyſios nominat.* Ioachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus, ad Annum 1163: *Simpliciter puto, repetitam eſſe veterem Appellationem LYGIORUM & ELYSIORUM. Nam etſi veteres Lygii oppreſſi ſunt â Slavis, qui Imperium & Linguam ſuam in hæc Loca propagarunt: tamen conſentaneum eſt, manſiſſe aliqua vetera Nomina, quæ poſtea in Uſum revocata ſunt.* Matthæus Dreſſerus in Hiſtoriarum Millenario VI, Parte II, de Lignicenſibus aliisque Ducibus: *SILESIOS ex LYGIIS & ELYSIIS nominatos eſſe, veriſimile eſt.* Quid nos de Sileſiorum Nominis hac Origine judicemus, tum aperiemus, cum explicaverimus, quid Germanis Nomen LYGIORUM denotet.

III. LYGII, de quibus hoc Loco agimus, quanquam interdum, neſcio, Typothetarum, an Editorum Incuriâ, vel LIGII, vel LIGYI, plerumque tamen LYGII nominantur. Ita vocat eos Cornelius Tacitus in Annalibus, Lib. XII. Cap. XXIX. §. 5. Cap. XXX. §. 1 & in Germania, Cap. XLIII. §. 4. & 7: ſicut Tacitum in Lucem prodiderunt, tum alii plures, tum cæteris potiores, Anno M. DC. VII, apud Antverpienſes, noviſſimâ Curâ Iuſtus LIPSIUS: eodem Anno apud Francofurtanos ad Mœnum Ianus GRUTERUS: Anno M. DC. XXXVIII, apud Argentoratenſes Matthias BERNEGGERUS: Anno M. DC. LXXII, apud Amſtelodamenſes Iohannes Fredericus GRONOVIUS: Anno M. DC. LXXXVII, apud Lugdunenſes Batavos Theodorus RYCKIUS.

IV. Ad Cornelii Taciti Exemplum, Λυγίȣς Lygios Dio Caſſius nominat in Hiſtoriarum Lib. LXVII: Ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σȣήβοις τισὶ πολεμηθέντες, πρέσβεις ἔπεμψαν. *In Myſia LYGII â Suevis quibusdam Bello vexati Legatos miſerunt.*

V. Horum Lygiorum, quos veterum Germanorum in Suevicis Populis Gentem fuiſſe conſtat, Nomen Ortu Germanicum, non exterum eſſe, quamvis ſolidô aut Teſtimonio, aut Argumento demonſtrari non poſſit: eſt tamen, unde Conjecturam probabilem capiamus.

VI. Populos aut omnes, aut plurimos, à Rebus ad eos pertinentibus accepiſſe Nomina ſua, non facile quisquam inter Antiquitatum peritos ne-

gaverit. Poſthabitis aliis, ſolos in Exemplum, quod Scopo noſtro ſerviat, ex Germanis proferemus Vandalos.

VII. Hos quidem Slauos ii ſtatuunt, qui Vandalos cum Vendis, omnino Slavis, circiter Annum Chriſti 550, Germaniam ingreſſis, ibique Vandalorum ſedes aſſecutis, confundunt. Vandalos autem â Vendis utique diſtinctos, ante Chriſtum natum claros, ipſo Vendorum in Germaniam ex Sarmatia digreſſorum Acceſſu vetuſtiores Scriptores indicant. Plinius Lib. IV. Cap. XIV: *Germanorum Genera quinque: VANDILI.* Tacitus in Germania, Cap. II. §. 5: *Plures Deo ortos, pluresque Gentis Appellationes, Marſos, Gambrivios, Svevos, VANDALOS* [Germani] *affirmant: eaque vera & antiqua Nomina.*

VIII. Hic Germaniæ Populus, VANDALI, quoniam crebro Sedes ſuas mutaverunt, Nomen, quod gerunt, acceperunt â vetuſtis Germanis: quibus ideo dicti fuerunt aut *Wandaler*, aut *Wandeler*: id eſt, *Ambulatores* aut *Peregrinatores*. Hugo Grotius in Prolegomenis Procopio præmiſſis: de Svevis & Wandalis: *Voce & hac & illa eos ſignificari, qui non certis ſe tenent Sedibus, nunc huc, nunc illuc ambulant, novere omnes, qui Germanicum* Sermonem.

IX. Inde nobis Opinio ſuboritur, antiquo Sileſiæ Populo, LYGIIS, quos â Sedibus ſuis, ad Vandalorum Exemplum, receſſiſſe non reperimus, ideo, quod eas tenerent fixi, â cæteris Germanis, quos intentior Conterraneorum Æſtimatio Vandalis, tanquam perpetuis, ſeu Ambulatoribus, ſeu Peregrinatoribus, Gentem diſſimilitudine, tum Animorum, tum Morum, contrariam opponere juſſerit, nominatos fuiſſe *Lyger*, ſecundum veterem: &, ſecundum hodiernam ſcribendi Formam, *Lieger*, id eſt, *Iacentes*: aut, ſi magis placet, *Permanentes*.

X. Hinc vero quemadmodum Nomine ſuo LYGII poſſint evadere SILESII, non equidem invenio. Nam, licet unâ literâ mutatâ LYGII poſſunt eſſe LYSII, unde fiant ELYSII: tamen Ratio deeſt, quæ ſimul & Converſionis Cauſam Veritati conſentaneam reddat, nec ab expoſita Lygiorum, id eſt, Iacentium, & Permanentium Significatione diſcedat.

CA-

# CAPUT X.

## ORIGO nona SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Populo ELYSIIS, GERMANICA.

I.

VEterem SILESIAM inter Habitatores ſuos, non QUADOS tantum, ſed LYGIOS etiam, quorum Pars ELYSII fuerunt, tenuiſſe diximus Cap. IX: idque noſter confirmabit de Sileſiorum Majoribus Liber. Hoc Elyſiorum Nomen unde provenerit, non extra Controverſiam eſt. Ortu quidam Hebraicum pronunciant: quod Græcum ſtatuere poterant: nos Germanicum declarabimus.

II. Nam ſunt, quibus Elyſiorum, ſicut Populus, ita Nomen ab *Hebræorum* Eliſa, Iavanis Filio, Iapheti Nepote, Noachi Pronepote, ſuam Originem trahere putatur. Secundum hos erit, cur *Elyſios* ab Hebræorum אֵל *El*, Deus, & יֵשַׁע *Ieſcha*, Salus, Nomen conſecutos, interpretemur *Divinitus beatos*. Ei Sententiæ ſubſcribunt Ioachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus: & Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. II.

III. Sed tum demum non adeo infirmum Opinioni ſuæ Fulcrum ſuppoſuerint, cum evidenter oſtenderint, ab Eliſa, Elyſios, qui Pars Lygiorum fuerunt, ortos: Lygios autem in Aſia primum, poſt in Europa, tandem ex Græcia in Germaniam progreſſos, in Sileſia Sedem nactos. Nos, quibus hoc præſtitum non invenitur, illam Elyſiorum Nominis Originem approbare nondum poſſumus.

IV. Melior illa nobis Ratio cenſetur, ob quam *Elyſiorum* Vox Ortu *Græca* videtur. Nam, etſi credas, Sileſiæ Populum, Elyſios, Nomen ab Eliſa obtentum, Sæculis multis retentum, ex Aſia in Europam, per Græciam in Germaniam, in Sileſiam transportatum, *Divinitus beatos* denotare: tamen, cur id, Notione par, Sermone diſpar, ſi non primos, at proximos Natales à Græcis habere, non credi poſſit, Cauſam nullam reperimus.

V. Cujus Originis Vox Elyſiorum ſit, quæ Poëtis, tum Græcis, tum Latinis eſt frequens, ignoravit Ioachimus Curæus. *Mirum eſt autem*, inquit in Sileſiæ Annalibus, *cum celebre Nomen apud Poëtas ſit Campi*

*Elyſii, non inquiſitum eſſe, quæ ſit Origo illius Appellationis. Non eſt dubium, Poëtas voluiſſe nominare Regionem beatam.* Id ne Iacobus quidem Schickfuſius penetravit: ut in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. III, fatetur.

VI. At eſt *Elyſiorum* vox, Græcis uſitata, omnino *Græca*. Quid deſignet, proferemus. Ἤλυσις, *Elyſis*, eſt *Adventus*. Suidas: Ἤλυσις. Ἔλευσις. Ἄφιξις. Ἔφοδος. Πορεία. *Elyſis, Adventus, Profectio, Ingreſſus, Iter.* Euripides in Hecuba, verſu 67: Σπεύσω βραδύπουν ἤλυσιν ἄρθρων προτιθεῖσα: *Accelerabo tardigradum Adventum Articulorum promovens.* Hinc Ἠλύσιοι *Elyſii* ſunt *Advenæ*. Quamobrem ἀπὸ τῆς ψυχῶν ἠλύσεως, *ab Animarum Adventu* Locus, in quem Animas â Corporibus diſſolutas advenire Pagani putabant, Ἠλύσιον *Elyſium* nominatus eſt.

VII. Locus ille, quoniam veteres Philoſophi Ethnici quadam futurorum Conſcientia ducti, ſtatuebant, Animas impiorum in moleſtam, piorum in jucundam transferri Sedem, ſic potiſſimum â Poëtis, tum Græcis, tum Latinis depingitur, ut propemodum cæleſtis Paradiſus videri poſſit. Eum, quem deſcribunt, nullo quidem Nomine proprio indicant, Plato in Phædone. Origenes Lib. V. contra Celſum, Cap. I. Propertius Lib. IV. Eleg. VII. Verſu 60: Claudianus de Proſerpinæ Raptu Verſu 281 Appellant vero *Elyſium*, Virgilius in Æneide, Lib. VI. Verſu 542. & 744. Valerius Flaccus in Argonauticis Lib. I. Verſu 650. *Elyſium Campum* Ἠλύσιον πεδίον: Homerus in Odyſſea Lib. IV. Verſu 563. *Elyſios campos*: Ἠλύσια πεδία: Clemens Alexandrinus in Stromatibus, Lib. IV, extremo: Tibullus Lib. I. Eleg. III. Verſu 58. Auguſtinus Lib. X. de Civitate Dei, Cap. XXX. *Elyſii Campi Lucos*: Claudianus in Stiliconis Conſulatum, Lib. II. Verſu 378. *Elyſium Nemus*: Seneca in Hercule furente verſu 744. *Elyſias Valles*: Claudianus in Honorii Epithalamio Verſu 744. *Beatorum Inſulam*: Μακάρων Νᾶσον: Pindarus in Olympionicis, Oda II. Verſu 129. *Piorum Mundum*: Nemeſianus Ecloga I. verſu 20.

VIII. At quæ fuit olim Regioni, quam hodie Sileſiam dicimus, ſub horridis Doctrinarum ad Religionem pertinentium Tenebris, Beatitudo ſingularis, ob quam Incolis potuerit adeo vetuſtum Elyſiorum, ab omnium antiquiſſimis Avis reportatum, ex Merito attribui Nomen? Nam ea quidem Felicitas, quam Elyſios â deterioribus Populis ad meliorem Gentem profectos in Sileſia obtinuiſſe, Joachimus Curæus & Iacobus Schickfuſius commemorant, adeo fragile Fundamentum habet, ut etiam leviori Brachio facile ſubvertas.

IX. Quare nos Elyſiorum Nominis Originem, quam nec Hebræis, nec Græcis adſcribendam videmus, Germanicam producere conabimur.

Huic

Huic ne Valorem par, ſeu Obſcuritas, ſeu Infirmitas adimat, in eô majus Probabilitatis Præſidium, quædam Munimenta circumdabimus.

X. Primô, certum eſt, â Germanis antiquis, ex Lingvæ politioris Neglectu, literam R in multis Nominibus, quibus eam, in Oris concinnioris Gratiam, nos addimus, deprehendi omiſſam.

XI. Vocabulorum Fini demitur R etiamnum ab inferioris Saxoniæ Populis: cum *De* pro *Der* uſurpant. Hinc Martini Lutheri hæc in Iohannis Apocalypſi, Cap. IV, Verſu 8: *Der Herr, der almæchtige, der da war, und der da iſt, und der da kommet:* ſic proferunt: *DE Here, DE Almechtige, DE dar was, unde DE dar ys, unde DE dar kumpt.* Cum dicunt: *UNSE Godt,* pro, *UNSER GOTT.* Nam Martini Lutheri hæc in Deuteronomii Cap. VI, Verſu 4: *DER Herr, UNSER GOTT, iſt ein einiger Herr:* ita pronunciant: *DE Here, UNSE GODT ys ein enich Here.* Sic pro WEISSAGER dixit WEISSAGE Interpres antiquiſſimus Harmoniæ quatuor Evangeliorum, quam Tatianus, Iuſtini Martyris Diſcipulus, ſcripſit, Teutonicus, in Zachariæ Cantico, quod Bonaventura Vulcanius in variarum Linguarum Speciminibus edidit: Ex Lucæ Cap. I. 76: *Thu Knecht WIZAGO thes Hohiſten bisthu ginennut:* id eſt: *Du Knecht WEISSAGER des Hoechſten biſt du genennet.* Sic Autor Anonymus Precationum, in Vratiſlavienſium Eliſabetana Bibliotheca MStarum: GEISTE pro GEISTER: Precatione III: *Heile meine Wunden, d. mit mich dy bozen GEISTE vorsert habin:* id eſt: *Heile meine Wunden, damit mich die bœſen GEISTER verſehret haben.* GOTE pro GOETTER, ibidem: *Wy wol das Were, das ſy falſche GOTE anbeten:* id eſt: *Wie wol das were, das ſie falſche GOETTER anbethen.* VORSPRECHE pro VORSPRECHER: Precatione XXI, ad Apoſtolum: *Meyn VORSPRECHE vor dem allmechtigen Gote:* id eſt, *Mein VORSPRECHER vor dem allmæchtigen Gotte.* Sic Interpres Saxonici Speculi Germanicus, pro VORSPRECHER, id eſt, Advocatus, adhibet VORSPRECHE, in Prooemio: *Und er mag wol Urtel finden, und Urtels warten, und auch VORSPRECHE ſein zu Lehenrecht und zu Landrecht.* Lib. I. Articul. LX: *VORSPRECHE mag ſich niemandt wiedern zu ſein in dem Gericht, do er innen wonhafftig iſt.* Sic Otfridus jam circiter Annum 870, ODE pro ODER dixit in Carmine, quod Salomoni Epiſcopo dedicavit, Verſu 47: *ODE Gvates,* pro, *ODER Gutes.*

XII. Conſimilem in modum idem Otfridus E pro ER adhibet, Verſu 37:

*Paradyſes feſti*
*Geb E iu zi giluſti.*
Hoc eſt: [Des] *Paradyſes Feſt*
*Geb ER euch zur luſt.*

Necdum apud Sileſios vulgus, maxime Ruſticorum, quos experimur veteris Sermonis Germanici retinentiſſimos, deſinit adhibere ſatis frequenter E pro ER: cum dicit: *E wil nich*: pro, *ER wil nicht*: Et, *E kon nich*: pro *ER kan nicht*.

XIII. Vocabulorum Medio demitur R in nominibus ab ER compoſitis. Hac loquendi Forma Otfridus utitur, cum EKORD dicit, pro, ERKORD, id eſt, ERKOREN, in Evangeliis, Lib. II. Cap. III. Verſu 15.

*Thas ſuſt EKORD eina*
*Muater inti thiarna:*
Hoc eſt: *Das ſo iſt ERKOREN eine*
*Mutter und Dirne*, id eſt, *Iungfrau.*

Ibidem, Libr. II. Cap. VIII. Verſu penultimo:
*Tho gilouptun EKORD eine*
*Thie iungoron SINE.*
Hoc eſt: *Da glaubten ERKOREN eine*
*D ER Iunger ſeine.*

XIV. Præterea Germanis, quod hodiernis eſt OE, id vetuſtis erat Y. Alfredus, occidentalium Saxonum in Anglia Rex, in Præfatione, quam Legibus ſuis præmiſit, §. 49: *Ic da Aelfred Weſtſeaxana CINING*: id eſt, *Ich dar Ælfred Weſtſaxen KOENIG.* Idem in Epiſtola, quam Wolfſigeo Epiſcopo ſcripſit: [Bonaventura Vulcanius in veterum Lingvarum Speciminibus edidit;] *Ælfred KYNING hatheth Gretung Wulfſige Biſceop*: id eſt, *Ælfred KOENIG wunſchet Heil Wolfſigen Biſchof.* Quin harum Literarum Permutatio etiamnum, inter Sileſios, Vulgo maxime in Agris uſitata eſt: â quo dicitur BYSE pro BOESE. Docet hoc, ut abſtineam aliis Exemplis, notiſſima Cantilena plebeja, in qua dicitur: *O du liebe Lyſe, bis og nich ſu BYSE*: pro, *O du liebe Eliſabeth, bis nur nicht ſo BOESE*, id eſt, *zornig.*

XV. Iam Elyſiorum Nominis Origo Germanica non difficulter oſtendi poteſt. Nam Germani veteres HE pro ER uſurpabant. Alfredus occidentalium Saxonum in Anglia Rex [Anno 900 mortuus] in Præfatione, quam Legibus ſuis præmiſit, §. XVII: *Gif HE donne ſy idæges dead*: id eſt, *So ER den ſey des Tages TODT* §. XXI: *Gif HE hit donne wiſt*: id eſt,

*So ER das denn gewuſt.* §. XXIII: *And HE donne dead ſy:* id eſt, *Und ER denn Todt ſey* §. XXVIII. *Gif HE hit ſylfſtæle:* id eſt, *So ER das ſelbſt ſtehle.* §. XXXVI: *Donne Cleopad HE to me:* id eſt, *Den ſchreyet ER zu mir.* §. XLIX: *Gedence HE, that HE nanum men ne dome, that HE nolde, that HE him demed:* id eſt, *Gedencke ER, das ER einen Mann nicht verdamme, das ER nicht wolte, das ER ihn verdamme.*

XVI. Hinc factum, ut H omiſſô, pro HE dicerent E: quo pariter in compoſitis etiam Vocibus denotabant ER. Ideo, ſicut LYSER pro LOESER adhibuerunt: ita pro ERLOESER dixerunt ERLYSER. Id nos Inſcriptio Sepulchralis docet, quam in quodam Sileſiæ Chronico MSto invenimus, de Lignicenſium Antiquitatibus:

*Hy leyt Hons Wulf, des Furiſtan Dinſtmon,*
*Dar dem Land hot vil guts gethon.*
*E quam ze letzt as allar Noth,*
*Dorch dan ELYSER, unſern Goth.* Hoc eſt:
*Hier liegt Hans Wolf, des Furſten Dienſt-Mann,*
*Der dem Land hat viel gutes gethan.*
*ER kam zu letzt aus aller noth,*
*Durch den ERLOESER, unſern Gott.*

XVII. Quare propendemus in eam Sententiam, quam non tantum Literarum & Sonorum Affinitas, illud derivandorum Vocabulorum commune Principium, ſed etiam cum Antiquitatis tum Veritatis Amatrix Ratio, quæ plurimis Germanis Nomen â Proprietatibus vel Corporum, vel Animorum, vel inde provenientium Actionum, vel Locorum, vel aliarum Rerum, per quas diſcerni â reliquis potuerunt, acceſſiſſe monet, confirmat, inſignem LYGIORUM fortiſſimorum Gentem ELYSIOS, quoniam dubiâ Præliorum Fortunâ, cæteris Germanis, maxime vicinis, Adverſarios duros patientibus, tanquam ſtrenui Periculorum Depulſores in Auxilium promtiſſimi venerint, ideo dictos eſſe quondam ELYSER pro ERLYSER, quos hodie dicimus ERLOESER, id eſt, *Liberatores.*

XVIII. Ab his, ut arbitramur, Voce non peregrina, ſed patria, id eſt, Germanica denotatis Elyſiis Originem SILESIORUM Nominis pendere, quidam exiſtimant. Nam & addito S, & tranſpoſitis Literis, ELYSIUS, primum aut ELYSSIUS, aut SELYSIUS, poſtea SYLESIUS, tandem SILESIUS fit. Ideo ſunt, qui vel eandem, vel ſimilem Elyſiorum Vocabuli Mutationem reſpicientes, ab eo Sileſiorum deducunt Appellationem. Ricardus Bartholinus in Auſtriados Libro X. Verſu 602:

*Auxilio Princeps Lyſias, qui in Bella* LYSITAS
*Duxerat, unde ſuum retinet nunc* SLESIA *Nomen.*

Matthias Quadus in Geographicis Enarrationibus, Lib. IV. Cap. VII, *Althamerus* SILESIOS *de* ELYSIIS, *Svevorum Populis exiſtimat nuncupatos, eosque Selignos quoque appellatos tradit. Quos, cum eo Loco habitaſſe, colligere liceat, in Sileſiorum eos Nomen tranſiiſſe, veriſimile eſt: facta Literarum Metatheſi, & S præfixa.* Stephanus Ritterus in Coſmographia, Lib. III: *Althamerus* SILESIOS *ab* ELYSIIS, *Svevorum Populis, quos etiam Cornelius Tacitus inter Germanos recenſet Populos, denominatos eſſe arbitratur. Quod â Vero non videtur alienum eſſe: Siquidem Elyſios ibi Loci, ubi hodie Sileſii, Locum obtinuiſſe conſtat: illudque Nomen remanſit, Metatheſi tantum Literarum factâ in voce Elyſii: S medio in Initio collocato, & I in Locum E poſito, adjecto ſimul S in antepenultima.*

XIX. Horum Sententiam & vanam, & deridendam cenſet Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. I. *Sunt*, ait, *qui ab Elyſiis nos petant: Dii Deæque, quam non vanè ſolum, ſed ridiculè: frigido quippe Soni Argumento, quod nullo alio fulcitur Tibicine.*

XX. At ea Sententia noſtro Iudicio, licet admodum incerta ſit, non tamen inepta fuerit, Argumenta ſubtilius æſtimanti, per quæ poſſit defendi.

XXI. Nam primum, Sileſia quidem univerſa, ſecundum veteres Limites, ab Elyſiis repleta non fuit; non autem inuſitatum eſt, unam Regionis Gentem dare toti Regioni ſuum Nomen. Ab Hollandis, Belgii Populo, acceſſiſſe cunctis Belgii fœderati Provinciis Appellationem Hollandorum, ſatis eſt notum.

XXII. Deinde, quis Antiquitatum conſcius ignorat, in Populorum Nominibus, ſi non eandem, tamen conſimilem Mutationem paſſis, obvias Vices, ipſis etiam Germanis, non Exteris tantum, frequentes? Sanè *Timor* olim FRUCHT dicebatur, qui poſtea *Furcht* dictus eſt. Hinc Angelorum ad PaſtoresDictum, quod Lucas Cap. II. Verſu 10, refert: *FURCHTET euch nicht:* Iohannes Rhavus in Animæ Hortulo, quem veteri Saxonicâ Lingvâ conſcripſit, & Anno 1563, in Officina Wittebergica edidit, profert ita: *FRUCHTET yuw nicht.* Similiter olim FYRST, pro FRYST, ſeu, ut hodie ſcribimus, FRIST, quod eſt Tempus, adhibebatur. Alfredus Occidentalium Saxonum in Anglia Rex in Legibus ſuis Cap. II: *On dæm FYRSTE*, id eſt, *In der FRISTE.* Parem in Modum Equus olim ORS dicebatur, qui poſtea ROS dictus eſt. In Melchioris Goldaſti Parænеticis Winsbekius Eques: *An din*

*ORS:*

*ORS:* id eſt, *An dein ROS.* Wolfaramus Eſchelbachius: *Sin ORS das gurt er herte:* id eſt, *Sein ROS das gurt er harte.* Mox ibidem: *Sin ORS tet vunfzehn Sprunge:* id eſt, *Sein ROS thet funfzehn Sprunge.* Iterum ibidem: *Nach ſinem ORS er greif:* id eſt, *Nach ſeinem ROS er greif.* Strikerus in Caroli Magni geſtis: *Der Keiſer uf ein ORS ſpranc:* id eſt, *der Kaiſer auf ein ROS ſprang.*

XXIII. Imo Germanis *caſtigat*, quod olim erat *RAFST*, id poſtea ex Literis aſſumta T, & transpoſitis cæteris, evaſit STRAFT. Otfridus in Evangeliis, Lib. I. Cap. XXXIII. Verſu 67. de Iohanne Baptiſta:

*Ioh RAFSTA ſie iogilicho*
*Filu Kaſtlicho.* Hoc eſt,
*Ia STRAFTE Sie iegliche*
*Viel Kræſtlich.*

Lib. IV. Cap. VIII. Verſu 87: de Chriſto Petrum caſtigante:

*RAFST anan Tho Uuorto*
*Thera Ungilouba harto.* Hoc eſt,
*STRAFT an ihm die Worte*
*Des Unglaubens harte.*

XXIV. Cur igitur ultra Fidem ſit, quondam vel â Germanis, ante Slavos, vel â Slavis Germanicam Lingvam corrumpentibus, vel â Germanis Slavicam Lingvam imitantibus, ELYSIOS eſſe converſos in ELYSSIOS, SYLESIOS, SILESIOS?

XXV. Accedit huc, quod Slavi peregrinis Nominibus propriis Literam ſub Initium affigere conſveverint. In Exemplum habemus QUADOS, quos Slavicis adſveti Vocibus SQADOS vocant. Ioannes Turocius, Hungarus, in Chronicis Hungaricis, Parte I. Cap. XV: *Præterea Marcomanni, Svevi, SQUADI, Heruli, Tyringi, Populi ex innata Militiæ Virtute perſtrenui, Regi Attilæ in Servitutem pariterque & Societatem ſponte ſe dederunt.* Matthias Michovius, Polonus, in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. XVII: *De Marcomannis, SQADIS, Vandalis, Sarmatis & Svevis.* Ibidem poſt quædam: *Apud Brigionem Oppidum SQADORUM.*

XXVI. Iam, ſi parem in Modum Slavi ELYSIOS converterunt in SELYSIOS: facillima duarum Literarum Transpoſitione fieri potuit, ut Sæculum illud, quod priſcas Germanici Sermonis Voces ad obvios Oris Slavici Sonos depravavit, ex SELYSIIS faceret prius SYLESIOS, tandem SILESIOS.

XXVII. Ita Nominum, quibus SILESII denotantur, ORIGINES, alias meris Conjecturis, alias ſpecioſis Argumentis, quô pleniorem

eô clariorem in Modum, vel illuſtratas, vel confirmatas expoſuimus. In tot Aſſertionibus etiam illas, quas ipſi pro veris non habemus, proferendas cenſuimus, ut pateret, cur alii pro veris habeant: quibus ideo ſingulis & Rationes, & Aſſeclas ſubjunximus. Cæterum, quam Sileſiorum Nominis Originem Suffragiô ſuô dignam exiſtimare malit, per nos licebit cujusque Iudicio: cujus maximè tum & Subtilitas, & Acumen promicat, cum & in multis, & in dubiis, de quibus in utramque Partem pari Contentione diſputari poteſt, id ob Cauſas ponderoſiores, quod anteponendum reliquis eſt, ſibi deligit. Nec habebit ea Libertas, cum vagam inter Initia Mentem in plurimis tandem ad unum defiget, cur vereatur Cenſores contrarios, quanquam ſeveros, quibus eadem, ſeu Probabilitas, ſeu Evidentia, quoniam vel non capitur, vel non attenditur, adeo diſplicet, ut propterea, dum alios declarant, ſe faciant ipſos ridiculos.

XXXVIII. Nos in eorum propendemus ſententiam, qui Nomen Sileſiis Ortu Germanicum adſcribunt: quod Lingva primum Slavica ſub aſperiores Scripturæ Formas redegerit, tandem Latina, deletis Barbariſmi Notis, ad elegantiorem Integritatis Habitum revocaverit.

# Caput XI.

## Quando SILESIORUM Nomen Ortum.

I.

QUemadmodum noſter de SILESIORUM MAIORIBUS Liber indicabit: ipſis propemodum novem Sæculis, ab Alexandri Magni Temporibus, Anno ante CHRISTUM natum 333, ad deſtructum in Occidente Romanum Imperium, Annum CHRISTI 550, Incolas *Sileſia* Superior *Quados*, inferior *Lygios*, quorum Pars *Elyſii* fuerunt, habuit. Utrique Nomen ſuum, Quadi ſemper integrum, Lygii non nihil aliquando mutatum, retinuerant: cum circiter A. C. 550, Slavos Germaniam ingreſſos experirentur Adverſarios: â quibus ſuperati, ſed non exſtincti ſunt. Nam eos ex Sileſia, ſeu profugos, ſeu profligatos, tandem omnino deletos ſtatuentium Sententiam Figmentis annumerandam noſter, cujus jam Mentionem fecimus, Liber.

II. Poſt hæc in unam Gentem compoſiti, & *Quadi*, & *Lygii* vetus amiſerunt, novum acceperunt Nomen. Pro *Germanis* propterea *Poloni* vocabantur, quia ſub Imperio Sarmatarum Slavorum Lechitico erant, cujus omnes, quanquam diſſimiles Nationes, univerſali *Polonorum* Vocabulo

deſig-

deſignabant. Pro *Quadis* & *Lygiis* quando primum *Sileſii* audierint, non ſatis conſtat.

III. De noſtra Sententia, non antiquius eſt Polonorum, quam Sileſiorum Nomen. Sane ſtatim cum Polonicum excitaretur Imperium, ipſa Neceſſitas, non tantum Commoditas requirebat, ut his Regionibus, his Gentibus, quas illud complectebatur, ſub generali Polonorum Nomine comprehenſis, adderentur ſpecialia Nomina, quibus Loci, Præfecti, Subditi, Iura, Leges, alia, diſtinctius indicari poſſent. Nam, ſi certum ſingulis, non dicam, vel Oppidis, vel Pagis, ſed Hominibus, ad aliorum Diſcrimen, conferri jubet privatorum Negotiorum Conditio: quomodo publicarum Rerum Adminiſtratio, citra peculiare Nomen ſingulis Populis attributum, peragi potuit?

IV. Sæculo Sexto, quô circiter Slavi Sedem, A.C. 550, in Sileſia primam fixerunt, Poloni, hoc eſt, Sarmatæ Slavi, Germanis Sileſiis mixti, poſt Lechi I. Polonorum Ducis Obitum, circiter A.C. 570, Terram ſuam univerſam in duodecim Regiones dividebant: quarum ſingulis præficiebant Ducem, Polonicè Voievodam, Latinè Palatinum Scriptoribus dictum. Id patebit ex Libro, quem de Sileſiorum [cum Polonis ſub eodem ſupremo Regimine conjunctorum] Rebus, ab A. C. 550 ad 1320, Memoria dignis conſcripſimus, ſed nondum perfecimus. Tum igitur Sileſiæ, quam inter Polonicas illius Temporis Provincias, nec adeo multas, nec adeo ſpatioſas [ſicut â quibusdam fingi ſolet] ſi non maximam, certè non minimam fuiſſe conſtat, ſub Polonorum univerſali Appellatione quoddam particulare Nomen, ad reliquarum Differentiam, utique contigit.

V. Quamobrem vix erit, cur dubitetur, & Quadis, & Lygiis Nomen priſcum, idque tum ſpeciale Quadorum & Lygiorum, tum generale Germanorum amittentibus, inter recentia, præter commune Polonorum, quoddam acceſſiſſe proprium Nomen. Non autem nos Antiquitas docet, *Quadis* & *Lygiis*, cum hoc eorum deleretur, aliud impoſitum, niſi quô etiamnum illorum Poſteri gaudent, *Sileſiorum* Nomen.

VI. Hoc autem Quadis & Lygiis Slavi aut recens indiderunt, aut ex antiquis Nominibus compoſitum applicuerunt. Prius ideo minus veriſimile, quia reperitur Indicium nullum, ex quô colligatur, Quadis & Lygiis ademtum vetus, novum traditum â Slavis Nomen. Quare magis credibile fit poſterius, ex *Quadorum*, & *Lygiorum*, quorum Pars *Elyſii* fuerunt, priſcis Nominibus Germanicis productum eſſe Nomeu *Sileſiorum*: quod diverſa diverſorum Populorum, præſertim Slavicorum, intra Sermonem, cum Germanicum, tum Latinum, Licentia in alias ſuper alias Formas deflexerit.

VII. Inter has omnes nulla propius accedit ad *Sileſiorum* Nominis Congruentiam, niſi Derivatio, quæ ſtatuit, ab *Elyſiorum* Gente, quam *Lygii* pro ſui Corporis Membro agnoverunt, non cæteros tantum Lygios, ſed Quados etiam dictos Sileſios. Hanc dependentem ab Elyſiis Originem Sileſiorum Nominis explicavimus Cap. X. Eandem comprobantes, ſi merentur Riſum, non tam merentur, quam repudiantes: omnibus, quas in medium attulimus, poſthabitis, quamvis non temere contemnendis, Rationibus.

VIII. Certè Sileſiorum Nomen adeo recens, ut quibusdam videtur, non eſt. Sunt enim, quibus Sæculo demum XII, circiter Annum, vel 1112, vel 1178, inventum creditur. Nicolaus Henelius in Sileſiographia, quam, Anno M. DC. XIII, edidit, Cap. I: cum dixiſſet, Sileſios Polonis conjunctos, generali Nomine Polonos fuiſſe nuncupatos: *Neque enim Vocabulum aliud reperire eſt, quo hujus Regionis Incolæ ante inventum SILESIÆ Nomen vocati. Quod quidem recentius eſſe, & vix à quingentis Annis aut paulò amplius uſurpari cœptum, neminem in Hiſtoriarum Lectione vel leviter verſatum poteſt fugere.* Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Anno M. DC. LXXIX, editis, Decade I. Lib. III. Cap. VI. §. II: *SILESIÆ Nomen Annos quingentos non ſuperat.*

IX. At enim SILESIORUM Nomen invenimus jam Sæculo X, Anno 938, Legibus additum, quas Imperator Henricus I. Auceps, Ludis Equeſtribus poſuit: [Melchior Goldaſtus Tomo I. Conſtitutionum Imperialium inſeruit:] ubi ducentis, & quod excurrit, Proceribus, inter Principes Imperii ſeorſum vocatos, annumerati leguntur: *Uratislaus Dux SILESIORUM: Neſtrico Dux SILESIÆ.*

X. Succurrit quidem, cur plena Fides non haberi debeat iisdem Literis: quas Anno 938 Cæſar Henricus I. publicare non potuit. Hunc enim, Anno 935, Lambertus Schafnaburgenſis Monachus: Anno 936, Ditmarus Martisburgenſis Epiſcopus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Gothofredus Viterbienſis Presbyter, Reginonis Prumienſis Monachi Continuator: Anno 937, Sigebertus Gemblacenſis Monachus, in Chronicis tradunt exſtinctum.

XI. Accedit, quod iisdem Ludis [quos Matthæus Pariſienſis, Anno 1259 mortuus, in Hiſtoriis Anglicis ad Annum 1252, & Haſtiludia & Torneamenta nominat: peculiaribus Operibus, Germanico quidem Georgius Rixnerus, Latino autem Franciſcus Modius, deſcripſerunt] etſi per ſe non commentitiis, tamen in majus provehendis, quædam ſupra Verum adjecta videantur. De quibus, præter alios, agunt Henricus Meibomius in Notis

tis ad Hermanni Lerbecii Comitum Schauenburgenſium Chronicon: Andreas Brunnerus in Annalibus Boicis, Lib. VIII. ad Annum 934: Iohannes Cunradus Dietericus in Cæſaris Henrici I Aucupis Hiſtoria, §. XII.

XII. Quicquid autem de Ludorum Equeſtrium Scriptoribus ſtatueris: tamen non erit, cur dubites, SILESIORUM Nomen jam Sæculo X, ſi non antecedentibus Annum 965, quô Chriſtianis Sacris initiati ſunt, certè proximis Temporibus adhibitum. Nam, ut alia Silentio prætereamus: Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus, Anno 976 natus: Anno 1005, Cæſaris Henrici II. adverſus Boleslaum I. Polonorum Ducem armati Comes, Sileſiam ingreſſus, eam â Polonia, quam POLENIAM vocat, diſtinguens, ad uſitatum antiquis Romanis loquendi Morem, Pagum, id eſt, Regionem SILENSEM nominat in Chronico, quod Anno 1017 ſcripſit, Libro VIII. Videantur ea, quibus Sileſiorum Nominis quartam Originem declaravimus, Cap. V.

XIII. Sæculo XI, poſt Boleslaum II, Audacem, Polonorum Ducem, qui Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem ad Aram ſatis audax trucidaverat, ê Polonia digreſſum Exſulem, priusquam Vladislaus I, Hermannus, Succeſſor eligeretur, Anno 1082, Imperium Polonicum, in quot dividebatur Provincias, tot recipiebat Præfectos: quorum â cæteris quemque Cognomentum â Provincia, cui præerat, deſumptum diſtinguebat. Inter hos Magnum Comitem reperimus, non Sileſiorum, ſed Vratislauienſium dictum eſſe Capitaneum, quoniam in Urbe Sileſiorum jam tum primaria, Vratislavia, Sedem habebat. At verò, quia multô ante, ſicut oſtendimus, ortum Sileſiorum Nomen, tum peregrinis etiam notum, Polonis non ignotum eſſe poterat: non eſt, ut ſtatuatur, illum Magnum Comitem, quia non invenimus dictum, ideo vel non eſſe dictum, vel non dici potuiſſe Capitaneum SILESIORUM. De quô plura dicemus in Libro de Sileſiorum cum Polonis conjunctorum Rebus.

XIV. Præterea Sæculo XII, Temporibus Annum 1139 præcedentibus, quô Sileſia fuit â cæteris Imperii Polonici Partibus, intra Hæreditariam Provinciarum Diviſionem, ſeparata, procul Dubio, jam SILESIORUM exſtitit Nomen. Numquid enim dividi Provinciæ potuerunt citra Nomen ſingulis adſcriptum? Nullum verò in Scriptoribus, eam Diviſionem indicantibus, reperimus Provinciæ noſtræ datum, præterquam SILESIÆ Nomen. Nam, Anno 1140, peragebatur Poloniæ, id eſt, omnium Provinciarum Polonicarum Diviſio: quam Boleslaus III, Cognomento Crivouſtus, Polonorum Princeps, Filiis ſuis, jam jam moriturus, præceperat. Tum Sileſia, non tantum â Sarmaticis, ſed etiam â Germanicis

Polo-

Polonorum Terris Nomine ſingulari, quod etiamnum tenet, ſeparabatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Tomo I. Lib. IV. ad Annum 1139: *Ne inter Filios pro Regno, ſe abſumtô, Bella, Odia, aut Contentiones contingant, Poloniæ Regnum, cujus ipſe in eam unus fuit Princeps & Monarcha, inter Filios dividit. Et Primogenito quidem Wladislao ex Rutena ſuſcepto, Cracovienſem, Siradienſem, Lancitienſem, SILESIAMque & Pomeraniam Terras legat.* Ibidem poſt quædam: *Boleslao verò Crispo Maſovienſem, Dobrzinenſem, Cujavienſem, &* [in Boruſſia] *Culmenſem: Miecislao Seni Gnesnenſem, Posnanienſem, & Caliſſenſem: Henrico Primo Sandomirienſem & Lublinenſem Terras, Diſtrictus & Regiones pro Sortibus conſignat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI, ad Annum 1140: *Partitione Regni ſecundum Deſcriptionem Patris facta, Uladislao quidem natu maximo Cracovienſis, Siradienſis & Lencicienſis Tractus, itemque SILESIA obtigere: Boleslao, qui Criſpus appellatus eſt, Maſovia & Cujavia, Culmenſisque ac Dobrinenſis Tractus: Miecislao Gnesnenſis, Posnanienſis, Caliſſienſis & Pomerania: Henrico Sendomirienſis.* Eadem Salomo Neugebauerus in Hiſtoria Polonica refert Lib. III, ad Annum 1140.

XV. Poſt hæc SILESIÆ Nomen uſurpavit Sæculo XIII, Anno 1240, Henricus II. Pius, Sileſiorum Dux, in Literis Episcopatum Vratislavienſem dotantibus, Vratislaviæ ſcriptis: quas Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. I. integras edidit: *Nos Henricus Dux SILESIÆ, Cracoviæ & Sendomiriæ.* Anno 1271, Ottocarus, Bohemorum Rex, in Literis, Leges Fœderis cum Stephano Hungarorum Rege continentibus, Pragæ ſcriptis: quas Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I, Libro VIII, Volumine I, Parte I, Epiſtolam XVIII. conſtituit: ubi Ottocarus Fœderatis adjungit *Dominum Wolezlaum, Ducem SILESIÆ, & ſuum Ducem Henricum, ac alios Filios ſuos, Dominum Chunradum Ducem SILESIÆ cum Pueris ſuis.* Anno 1288, Henricus IV, Henrici II. Pii Nepos, Sileſiorum Dux, in Literis Eccleſiam Collegiatam S. Crucis Vratislauienſem conſtituentibus, Vratislaviæ ſcriptis: quas Iacobus Schikfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. I. repræſentat: *Henricus IV. Dei Gratia, Dux SILESIÆ & Dominus Vratislaviæ.* Anno 1290, Thomas, Episcopus Vratislavienſis, in Decretis, intra Synodum Vratislavienſem factis: quæ Martinus, Episcopus Vratislavienſis, antiquis Eccleſiæ Cathedralis Vratislavienſis Statutis Synodalibus, Anno M. D. LXXXV, editis adjunxit: *Domino Conrado, Duce SILESIÆ & Domino de Sagano, Præpoſito noſtro.* Eodem Anno 1290, Imperator Rudolphus I. in Literis Ducatum Vratislavienſem Wenceslao Bohemorum Regi hæreditarium conceden-

cedentibus, Erphordiæ ſcriptis: quas Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I. Lib. VIII. Vol. I. Parte III, Epiſtolam III conſtituit: *Innoteſcat, quod nos Ordinationem de Terra & Principatu Wratislaviæ & SILESIÆ, quæ à Nobis & Imperio habentur in Feudum, quam Illuſtris quondam Henricus Dux Wratislaviæ, noſter Princeps, cum Illuſtriſſimo & Præclaro Wenceslao, Rege Boemiæ, Filio & Principe noſtro chariſſimo, videlicet: quod idem Rex Boemiæ in Terra & Principatu Wratislaviæ & SILESIÆ, ſi ipſum Henricum Ducem præm ri contigerit, ſibi deberet ſuccedere, iniiſſe dignoſcitur & feciſſe, habemus gratam & ratam.*

XVI. Sæculo XIV, Anno 1329, Conradus Glogovienſium, Iohannes Steinavienſium, Henricus Saganenſium: Anno 1331, Boleslaus, Wenceslaus, Ludovicus, Lignicenſium Duces: cum â Polonis ad Bohemos transgreſſuri, Terras ſuas hæreditarias, quas ſponte ſuâ Iohanni Bohemorum Regi ſubjecerant, ab eo, ſub novâ Iuris Feudalis Formâ reciperent, in Antapochis, quas Forum Recognitiones appellat: Sicut eas Iacobus Schickfuſius, non tantum in Conſuetudinibus Feudalibus Cap. II, quod de Perſonis & Rebus Feudalibus agit, §. XV. XVI. XVII. XVIII. MStas, ſed etiam in Sileſiæ Chronico, Lib. II. Cap. I. editas nobis exhibet: utuntur SILESIÆ Vocabulo. Laudatos Sileſiæ Duces imitatus Anno 1355 Imperator Carolus IV. in Literis, Sileſiam & Luſatiam Bohemico Regno annectentibus: quas Melchior Goldaſtus Tomo I. Imperialium Conſtitutionum indidit, & Operi ſuo de Bohemico Regno ſubjunctas, in Appendice Documentum XLIII eſſe voluit, parem in Modum ſæpius SILESIÆ Duces vocat. Anno 1342, Preceslaus, Episcopus Vratislavienſis, Fidem â Sileſiæ Ducibus Iohanni Bohemorum Regi promiſſam, Eccleſiaſtica Cenſura corroborandam ſpondentibus, prope Vratislaviam ſcriptis: quas Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I. Lib. VIII. Vol. I. Parte III, Epiſtolam VI conſtituit: *Donationibus & Libertatibus datis & conceſſis, per quondam Principes SILESIÆ, eidem noſtræ Eccleſiæ non intendimus aliquod Præjudicium.* Eodem Anno 1342, Iohannes Bohemorum Rex, in Literis, Res ad Episcopatum Vratislavienſem ſpectantes continentibus, quas Pariſiis conſignavit: [Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronicon, Librum III, Caput V, retulit:] nominat *Henricum I. Henricum II. Henricum III. Henricum V. ſextum & ultimum, tum Duces SILESIÆ & Dominos Vratislavienſes.*

XVII. Præterea Sæculo XV, Anno 1475, Matthias, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Literis, Episcopatui Vratislavienſi Privilegia confirmantibus, Ratiboriæ ſcriptis: quas Eccleſiæ Cathedralis Vratislavienſis Statuta Synodalia continent: *Capitaneis noſtris, tam in Inferiori, quam Superiori*

*riori* SILESIA. Anno 1490, Uladislaus, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Literis, Decretum Primum, quod majus vocari ſolet, facientibus, Budæ ſcriptis: quas Caſpar Rathius in Decretis Hungaricis apud Viennenſes, Anno M. DC. XXVIII, editis, Tomo II inſeruit: *Nos Uladislaus, Dei Gratia, Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, nec non* SILESIÆ *& Lucemburgenſis Dux.*

XVIII. Iam & XVI. & XVII. Sæculi Teſtimoniis, quorum major Numerus invenitur, SILESIORUM Nomen in Uſu crebro fuiſſe, confirmatum dare ſuperſedemus. Hæc enim, quæ protulimus, ſatis oſtendunt, magno Sæculorum plurium Conſenſu, non Germanis tantum, verum Exteris quoque, citra Sermonis alieni, ſeu Germanici, ſeu Slavici Characterem aſſumtum, SILESIORUM Nomen incorruptum eſſe conſervatum: quanquam omnibus etiam Sæculis, præſertim Poëtarum Licentiâ, peregrinam in Figuram detortum; quemadmodum Exempla teſtantur, quæ produximus Cap. I.

XIX. Sed fortaſſis erit, cur toties allatum SILESIORUM Nomen in Codicibus aliter olim MStis, aliter jam editis reperiri credatur: maximè, quia non nunquam id uno eodemque, non Libro aut Capite ſolum, ſed Paragrapho etiam, ſeu Calamus, ſeu Typus Inſtrumentum Conſignationis fuerit, Conditione Literarum diſſimili formatum reperitur. Parum vero eſt huic Conjecturæ tribuendum. Nam SILESIAS in MStis Codicibus optimis, eô, quem repræſentavimus, Literarum Habitu exſtitiſſe, dubitantibus adimere Suſpicionem poteſt, & ſumma Virorum Diligentia, quibus allegatos Libros debemus publicatos: & plurimorum MStorum, in quibus frequens Sileſiorum Mentio fit, adhuc in Bibliothecis tam publicis, quam privatis latentium Aſpectus. Quò pertinent veteres, paſſim obviæ, cum alibi, tum in Sileſiorum Templis, potiſſimum ſepulcrales Inſcriptiones: in quibus evidenter, mox SILESIÆ, mox SILESIORUM Nomen expreſſum Oculis patet.

XX. Hæc prudentioribus Antiquitatum Æſtimatoribus, arbitramur, Fidem aut facient, aut firmabunt, ſi Originem conſiderent, multô vetuſtius, &, ſi Formam inſpiciant, multô purius eſſe, quam vulgo cenſetur, quanquam ipſis ſerò demum Sileſiis, prius Armorum Agrorumque, non Literarum Hiſtoriarumque Studio deditis, tamen & his, & aliis Latinâ Linguâ inſtructis, Resque noſtras commemorantibus Populis uſitatum Nomen SILESIORUM.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0086-0

# INDEX I, CAPITUM.


I. Nominum, quibus SILESII denotantur, Recenſio.

II. Origo prima SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ SITU, Latina, Polonica, Germanica.

III. Origo Secunda SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ SOLO, Polonica.

IV. Origo tertia SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ Fluvio SLESO, Slavica.

V. Origo quarta SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ Monte SABOTHO, Latina & Germanica.

VI. Origo quinta SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ CONVENIS, Polonica.

VII. Origo ſexta SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ CONVENIS, Bohemica.

VIII. Origo ſeptima SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ Populo QUADIS, Slavica.

IX. Origo octava SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ Populo LYGIIS, Germanica.

X. Origo nona SILESIORUM Nominis, â Sileſiæ Populo ELYSIIS, Germanica.

XI. Quando ſit ortum Nomen SILESIORUM.


# INDEX II, VIRORUM.

## NUMERUS Romanus Caput, Barbarus Paragraphum denotat.


A.

*Adamus*, Bremenſis Canonicus. I. 26.

*Adelmus*, Benedictinus Monachus. II. 5.

*Ademarus*, Benedictinus Monachus. II. 5.

Claudius *Ælianus*. V. 66.

*Æſchylus*. V. 34. 37. 39.

*Alfredus*, Anglorum Rex. II. 9. Occidentalium Saxonum Rex. X. 14. 15.

Andreas *Althammerus*. I. 22.

*Anaſtaſius* Bibliothecarius. II. 5.

*Antipater*. V. 31.

*Apollo* Clarius. V. 24.

Lucius *Apulejus*. V. 33. 37.

*Aratus*. V. 35.

*Archidemus*. V. 31.

*Ariſtoteles*. V. 16.

*Arnobius*. V. 50.
*Arrianus*. V. 39.
Ioannes *Aſſer* Menevenſis. II. 19.
*Athenagoras* Athenienſis, V. 15. 16.
Ioannes *Aventinus*. I. 25. VIII. 12.
*Auguſtinus*, Hipponenſis Epiſcopus. V. 12. 16. 37. 41. 63. X. 7.
*Autor* Annalium Francicorum Fuldenſium. I. 15. II. 5.
*Autor* Chronici Marcianenſis. II. 4.
*Autor* Hiſtoriæ Autiſſiodorenſium Epiſcoporum. II. 5.
*Autor* Inſcriptionis Vratislavienſis I. 18.
*Autor* Inſcriptionis Sepulcralis. X. 17.
*Autor* Vitæ Cæſaris Caroli Magni. II. 5.
*Autor* Vitæ Ditmari, Martisburgenſis Epiſcopi. V. 9.

B.

Cornelius *Bacchus*. V. 15.
Bohuslaus *Balbinus*. I. 3. 13. 23. errat: V. 55. X. 8. 15.
Ricardus *Bartholinus*. I. 3. 4. X. 18.
Gabius *Baſſus*. V. 15.
Ioannes Goropius *Becanus*. II. 17.
Chriſtianus *Becmannus*. V. 21.
Venerabilis *Beda* II. 19.
Matthias *Berneggerus*. IX. 3.
Bernardus *Bertrandus* V. 58.
Ioannes *Bodinus*. VIII. 12.
*Boleslai* I. Polonorum Ducis Filius Miſeco. V. 11.
*Boleslaus* II. Polonorum Dux Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem trucidat XI. 13.
*Boleslaus* Sileſiorum Dux Lignicenſis: Dux Monſterbergenſis: Dux Oppolienſis ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjiciunt. VII. 1.
*Boleslaus* Sileſiorum Dux Suidnicenſis & Iavorenſis moritur. VII. 1.
Antonius *Bonfinius*. I. 8.
Martinus *Boregkius*. VII. 1. 2.
Marcus Zuerius *Boxhornius*. II. 19.
Erneſtus *Brotuffus* V. 9.
Andreas *Brunnerus*. V. 10. XI. 11.
Caſpar *Bruſchius*. V. 76.
Henricus *Buntingus*. VIII. 17.

C.

Vincentius Cadlubcus. I. 10.
Iulius *Cæſar*. V. 46. 76.
Guilielmus *Camdenus*. II. 19.
Iohannes *Cario*. VI. 7.
*Carolus* Magnus Imperator. II. 6.
*Carolus* IV. Bohemorum Rex. I. 24.
Romanorum Imperator. II. 4. XI. 16.
*Caſimirus* Polonorum Rex. I. 8.
*Caſimirus*, Sileſiorum Dux Teſchinenſis, ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1.
Marcus *Cato*. V. 25.
Conradus *Celtes*. I. 18. IV. 4.
Angelus *Cherubinus*. I. 18.
Laertius *Cherubinus*. I. 18.
*Chryſippus*. V. 31.
*Cicero*. II. 3. V. 19. 25. 39. 40. 41. 43. 49. 66. VIII. 2.
Claudius *Claudianus*. V. 41. X. 7.
*Cleanthes* V. 31.
*Clemens* Alexandrinus. V. 12. 16. 32. 34. 37. X. 7.
*Clemens* IV. Pontifex Romanus. I. 18

Philippus *Cluverius*. II. 27. VIII. 23.
Chriſtophorus *Colerus*. I. 15.
Petrus *Colvius*. V. 51.
*Columbanus* Abbas. V. 21.
*Conradus*, Sileſiorum Dux Glogovienſis & Olsnenſis ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1. XI. 16.
Hermannus *Contractus*. XI. 10.
Martinus *Cromerus*. I. 23. VI. 3. 5. 6. errat: VI. 9.
Iohannes Henricus *Cunradus*. I. 10.
Ioachimus *Curæus*. V. 4. 74. VI. 8. IX. 2. X 2 5. 8. perperam Erroris accuſatur. V. 55.
D.
Paulus *Dalecampius*. I. 18.
*Davides* Pſaltes. V. 24. 48.
*Demoſthenes* V. 61.
*Dio* Caſſius. IX. 4.
*Dio* Chryſoſtomus. V. 61.
*Diodorus* Siculus. V. 24. 60. 61.
*Dionyſius* Alexandrinus. V. 58.
*Dionyſius* Halicarnaſſenſis. V. 39.
*Ditmarus*, Sigefridi Comitis Saxonici Filius: Magdeburgenſis Monachus, Wallibicenſis Præpoſitus, Martisburgenſis Epiſcopus: Rerum in Sileſia geſtarum Spectator. V. 9. 10. 11. 12. 76. 77. 78. VI. 15. XI. 10.
Iohannes Longinus Cognomento *Dlugoſſus*. I. 11. IV. 2. VI. 3. 5. XI. 14.
Matthæus *Dreſſerus*. IX. 2.
Iohannes *Dubravius*. I. 27. 28. errat: VII. 2 5.
Andreas *Ducheſnius*. I. 15. II. 5. 6.
Simeon *Dunelmenſis*. II. 19.
E.
*Eginhardus* Caroli Magni Notarius. II. 5.
Geverhartus *Elmenhorſtius*. V. 51.
*Eraſmus* Roterodamus. V. 49.
*Eſaias* Propheta. VIII. 15.
Wolfaramus *Eſchelbachius*. II. 16.
*Euphorion*. V. 37.
*Euripides*. V. 29. X 6.
*Euſebius* Cæſarienſis. V. 15. 16. 32. 33. 36. 37.
*Euſtathius* Theſſalonicenſis. V. 57.
F.
Franciscus *Faber*, Civitatis Vratislavienſis Notarius. I. 18. III. 2. 3. V. 5. quando vixerit, quid ſcripſerit. V. 7. moritur. VI. 7.
Iohannes *Fechnerus*. V. 82.
Sextus Pompejus *Feſtus*. V. 23.
Iulius *Firmicus* Maternus. V. 52.
Valerius *Flaccus*. V. 38 41. X 7.
Matthias *Flacius*. VIII. 3.
Valentinus *Franckius*. V. 74.
*Fredegarius* Scholaſticus. II. 5.
Marquardus *Freherus*. I. 15. II. 5.
*Fridericus* I. Imperator in Sileſia cum Boleslao IV. Polonorum Duce Pacem init. VI. 4.
Nicolaus *Fullerus*. V. 21.
G.
Aulus *Gellius*. V. 20. 23. 28.
*Gerlacus*, Archiepiſcopus Moguntinus. I. 5.
*Gobelinus* Perſona. V. 47.
Melchior *Goldaſtus*. I. 5. 8. 21. 24. II. 8. 16. 24. IV. 3. 21. V. 78 XI. 9.
Ioannes Fredericus *Gronovius*. IX. 3.
Simon *Grunæus*. I. 18.
Ianus *Gruterus*. V. 27. 29. 52. IX. 3.
Ioannes *Gryphiander*. II. 29.
Andreas *Gryphius*. I. 5. 18. 27.

H.

Wenceslaus *Hagecius*. VII. 1.
Hermannus *Hamelmannus*. II. 29.
*Harpocratio* V. 57.
*Haymo* Halberſtatenſis. II. 19.
Gothofredus *Helwigius*. VIII. 14.
Nicolaus *Henelius*. III. 2. IV. 2. V. 2. 74. VI 2. 7. X. 19. XI. 8.
*Henricus* I. Auceps, Imperator, Ludis Equeſtribus ponit Leges. XI. 9.
*Henricus* II. Imperator in Sileſia debellat Boleslaum I. Polonorum Ducem. V. 11.
*Henricus* V. Imperator in Sileſia debellat Uladislaum I. Polonorum Principem. VI. 2. 3.
*Henricus* II. Cognomento Pius, Sileſiorum Dux, I. 5. â Tartaris occiſus. V. 73. XI. 15.
*Henricus* IV. Sileſiorum Dux. XI. 15.
*Henricus* VI. Sileſiorum Dux moritur. VII. 1.
*Henricus* Sileſiorum Dux Saganenſis. XI. 16.
Ioannes *Heringius*. II. 29.
Baſilius Iohannes *Heroldus*. II. 6.
*Hermeſianax*. V. 42.
*Homerus*. V. 16. 23. X. 7.
Iodocus *Hondius*. IV. 5.
*Horatius* V. 38.
Franciſcus *Hotomannus*. VIII. 12.
Henricus *Huntindonienſis*. II. 19.
Iulius *Hyginus*. V. 20.

I.

*Iacobus* Apoſtolus. V. 48.
*Iamblichus* Chalcidenſis. V. 32.
*Interpres* Harmoniæ quatuor Evangeliorum Germanicus: X. 11.
*Interpres* Orphei Græcus. V. 36.
*Interpres* Speculi Saxonici. X. 11.
*Iohannes* Evangeliſta. V. 33.
*Iohannes* Lucenburgicus, Bohemorum Rex, I. 8. fit Sileſiorum Dux ſupremus. VII. 1. XI. 16.
*Iohannes* Sileſiorum Dux Oſuentienſis, & Dux Steinavienſis, ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjiciunt. VII. 1.
*Irenæus*, Lugdunenſis Epiſcopus. V. 16.
*Iſidorus*, Hiſpalenſis Epiſcopus. II. 10. V. 27.
*Iulianus* Imperator. V. 68.
Hadrianus *Iunius*. VIII. 12.
*Iuſtinus* Martyr. V. 15. 32. X. 11.
*Iuvenalis*. V. 38. 40.

K.

Petrus *Kærius*. II. 7.
Albertus *Krantzius*. I. 19. VIII. 12.

L.

Philippus *Labbeus*. II. 5.
Cornelius *Labeo*. V. 24.
Firmianus *Lactantius*. V. 12. 18. 25. 32. 40.
Diogenes *Laertius*. V. 31.
*Lambertus* Schafnaburgenſis Monachus. XI. 10.
*Lesco* Sileſiorum Dux Ratiborenſis ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1.
Iohannes *Limnæus* VIII. 12.
Erpoldus *Lindenbrogius*. I. 26.
Fridericus *Lindenbrogius*. II. 6.
Iuſtus *Lipſius*. IX. 3.
Titus *Livius*. II. 3. V. 39. 40. 80.
Iohannes *Longinus*. I. 11.
Philippus *Lonicerus*. I. 19.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0090-4

Stanislaus *Lubienskius*. VII. 2.
Fridericus *Lucæ*. IV. 2. V. 74.
*Lucanus*. V. 36. 40.
*Lucianus*. V. 49.
*Ludovicus*, Sileſiorum Dux Grotkavienſis, ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1.
*Ludovicus*, Sileſiorum Dux Lignicenſis. XI. 16.
*Luitprandus*, Ticinenſis Diaconus. II. 4. 5.
Martinus *Lutherus*. X. 11.

M.

*Macrobius*. V. 24. 27. 28. 50. 51.
Ioachimus Iohannes *Maderus*. I. 26.
Iohannes Antonius *Maginus*. IV. 2.
*Magnus* Comes, Capitaneus Vratislavienſis. XI. 13.
Claudius *Maltretus*. V. 54.
Iacobus *Marchantius*. II. 7.
*Marianus* Scotus. XI. 10.
*Martialis*. V. 25.
*Matthæus* Evangeliſta. VIII. 14. 15.
*Matthias* I. Hungarorum & Bohemorum Rex. I. 18. XI. 16.
Henricus *Meibomius*. V. 11. XI. 11.
Philippus *Melanchthon*. VI. 7. VIII. 2.
Gerardus *Mercator*. IV. 5.
Matthias *Michovius*. I. 18. 20. VI. 5. VII. 1.
*Mieslaus* II, Sileſiorum Dux Troppavienſis, moritur. VII. 1.
*Minutius* Felix. V. 16. 43.
*Miſeco*, Boleslai I. Polonorum Ducis Filius, V. 11.
Franciſcus *Modius*. XI. 11.
Ioſephus *Moletius*. I. 5.
Petrus *Montanus*. II. 7.
*Moſes*. X. 11.
Sebaſtianus *Munſterus*. I. 7. 9. IV. 5.

N.

Iohannes *Nauclerus*. I. 5.
Michael *Neander*. I. 12. III. 2.
Aurelius *Nemeſianus*. V. 68. X. 7.
Salomo *Neugebauerus*. XI. 14.
*Nonnus* Panopolitanus. V. 66.
Hermannus *Nuenarius* Comes. II. 6.

O.

Ioannes *Obſopœus*. V. 15.
*Origenes*. X. 7.
*Orpheus* Poëta. V. 16. 32. 33.
*Otfridus*, Weiſſenburgenſis Monachus. II. 13. 16. 20. VIII. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. X. 11. 12. 13. quando vixerit. VIII. 3.
*Otto*, Friſingenſis Epiſcopus. XI. 10.
*Ottocarus*, Bohemorum Rex, occupat Sileſiæ Ducatum Troppavienſem. VII. 1. XI. 15.
*Ovidius*. V. 39. 64. 69. 70. 79.

P.

Matthæus *Pariſienſis*. XI. 11.
*Paulus* Apoſtolus. V. 17. 34. 35. 48.
*Pauſanias*. V. 65.
Caſpar *Peucerus*. VI. 7.
Tobias *Pfannerus*. V. 15.
*Pindarus*. X. 7.
Petrus *Pithœus*. I. 15.
*Plato*. X. 7.
*Plinius* Hiſtoricus. V. 27. 38. 48.
*Plutarchus*. V. 31. 66. 76.
Arnaldus *Pontacus*. V. 16.
Ioannes Iſacius *Pontanus*. II. 7.
*Poſidonius*. V. 31.
*Preceslaus*, Episcopus Vratislavienſis. XI. 16.

Iacobus *Priluſius*. II. 13.
*Priſcianus*. V. 20.
Valerius *Probus*. V. 52.
*Procopius* Cæſareenſis. V. 54.
*Propertius*. V 40. 66. X. 7.
*Prudentius*. V. 12.
Claudius *Ptolemæus*. I. 5.
*Pythagoras* Samius Philoſophus quando vixerit. V. 16.

Q.

Matthias *Quadus*. I. 13. X. 18.

R.

Caſpar *Rathius*. XI. 17.
*Regionis* Prumienſis Continuator. XI. 10.
Reinerus *Reineccius*. VIII. 17. V. 9. 10.
Nicolaus *Reusnerus*. III. 1.
Laurentius *Rhodomannus*. V. 6.
Stephanus *Ritterus*. X. 18.
Georgius *Rixnerus*. XI. 11.
*Rudolphus* I. Imperator. XI. 15.
Theodorus *Ryckius*. IX. 3.

S.

Marcus Antonius Coccius *Sabellicus*. I. 18. 19. VIII. 12.
*Samuel* Propheta. V 48.
Stanislaus *Sarnicius*. I. 29.
Henricus *Savilis*. II. 19.
Ioſephus *Scaliger*. V. 16.
Hartmannus *Scedelius*. I. 19.
Simon *Schardius*. I. 7. 22.
Elias *Schedius*. V. 15.
Iacobus *Schickfuſius*. I. 8. III. 2. IV. 2. V. 2. 5. 74. 82. VII. 2. X. 2. 5. 8. XI. 15. 16. perperam Erroris accuſatus. V. 15.
Caſpar *Schwenckfeldius*. IV. 2. V. 2.
Ioannes *Seldenus*. II. 19.
*Seneca* Philoſophus. V. 36. 37. 42. 67. 80.
*Seneca* Poëta. V. 41. 60. X. 7.
*Servius* Grammaticus. II. 11. V. 19. 27. 65. 79 80.
*Sibyllæ*. V. 15.
*Sidonius* Apollinaris. V. 69.
*Sigebertus* Gemblacenſis. XI. 10.
Davides *Sigemundus*. III. 2.
*Sigismundus* Imperator. I. 8.
*Sigismundus* Auguſtus, Polonorum Rex. I. 13.
*Sigismundus*, Sileſiorum Dux Oppavienſis & Glogovienſis. I. 18.
*Socrates*. V. 16.
Melchior *Soiterus*. I. 19.
Iulius *Solinus*. V. 15.
*Sophocles*. V. 16. 32.
Philippus Iacobus *Spenerus*. VIII. 17.
Magiſter *Spervogelius*. II. 24.
Iacobus *Spiegelius*. I. 3. IV. 5.
Papinius *Statius*. V. 38 41. 63.
Strabo. V. 39.
*Stanislaus*, Episcopus Cracovienſis ad Aram â Boleslao Polonorum Duce trucidatus. XI. 13.
Auguſtinus *Steuchus*. V. 15.
Ælius *Stilo*. V. 23.
*Suetonius* Tranquillus. V. 39. 40.
*Suidas*. X. 6.
*Sulpitius* Severus. V. 12.
Æneas *Sylvius*. I. 7. 8. 9.

T.

Cornelius *Tacitus*. II. 3. V. 46. IX. 3.
*Tatianus*. X. 11.
*Tertullianus*. V. 42. 66.

*Theodo-*

*Theodoricus*, Francorum Rex. V. 76.
*Theodoſius* Imperator. V. 12.
*Theophilus* Antiochenus. V. 15.
*Thomas*, Epiſcopus Vratislavienſis. XI. 15.
*Tibullus*. V. 38. X. 7.
Georgius *Tilenus*. V. 74.
Iohannes *Trithemius*. VIII 2. 3.
Iohannes *Turpinus*. VIII. 12.
Maximus *Tyrius*. V. 66.

V.

*Valerius* Maximus. V. 25.
Terentius *Varro*. V. 23. 27.
Abrahamus *Vechnerus*. IV. 2.
Davides *Vechnerus*. IV. 2.
*Vigilius* Tapſenſis. V. 12.
*Virgilius* Maro. V. 38. 41. 65. 69. X. 7.
Gothofredus *Viterbienſis* Presbyter XI. 10.
*Vladislaus*, Hungarorum & Bohemorum Rex. I. 21. XI. 17.
*Vladislaus* I. Polonorum Dux, cum Imperatore Henrico V. Bellum in Sileſia gerit. VI. 2. 3. XI. 13.
*Vladislaus*, Sileſiorum Dux Coslenſis, ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1.
*Ulpianus* Rhetor. V. 61.
Gerardus Ioannes *Voſſius*. V. 15. 21.
Caſpar *Urſinus* Velius. I. 6. 14. 16.
Bonaventura *Vulcanius*. II. 26. VIII. 2. 14. X. 11. 14.
Pancratius *Vulturinus*. V. 82.

W.

*Wenceslaus*, Sileſiorum Dux Bregenſis, ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1. XI. 16.
Abrahamus *Whelocus*. II. 19.
*Willeramus*, Martisburgenſis Abbas. V. 6. quando vixerit. VIII. 2.
*Winsbekius*, Eques Germanus. II. 21. 24.

Z.

Zeno. V. 31.

# INDEX III, RERUM.

## NUMERUS Romanus Caput, Barbarus Paragraphum denotat.

A.

*Æquoreus* Iupiter, Neptunus. V. 41.
*Aſinus* aureus, Reichſteinenſis Mons. V. 73.
*Aſinus* Sileni. V. 73.

B.

*Bacchi* Comes Silenus. V. 62. 69. Educator & Nutritor idem. V. 68. ſemper ebrius, id eſt, ſapiens. V. 69.
*Bacchi* Sacra nocturna. V. 78. Nyctelia. V. 78.
*Bacchus*, Dionyſius Sabazius. V. 58. Iacchus. V. 59. Liber Pater. V. 60. Nyctelius. V. 78. Vini & reliquarum omni-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0093-2

omnium Frugum Autor. V, 60. Sol. V. 61.

*Beatorum* Inſula. X. 7. Elyſium, Elyſius Campus. X. 7.

*Bellum* in Sileſia inter Uladislaum I. Polonorum Principem, & Henricum V. Imperatorem. VI. 2. 3. inter Boleslaum IV. Polonorum Principem & Fridericum I. Cæſarem. VI. 4.

*Bohemiæ* conjuncta Sileſia. VII. 1.

*Bregenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

C.

*C* mutatur in S. II. 11. in Z. I. 21. II. 12. 17.

*Caninus* Campus ad Vratislaviam. VI. 2.

*Capitolinus* Iupiter. V. 40.

*CH* antiquis Germanis omittitur. II. 16.

*Clavis* Polonis Klutz. II. 10.

*Clauſa*, Clauſula, Clauſura. II. 29. Cluſa. II. 6.

*Cluſa*, Clauſtrum. II. 5. Sluſa. II. 6. quævis Extremitas. II. 6.

*Convenæ* in Sileſia. VI. 2. 3. 4. unde Sileſiis Nomen Bohemicum Sleſitarum. VII. 2. Polonicum Slezacorum. VI. 6.

*Coslenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Cuſtos* Iupiter. V. 39.

D.

*Dæmones* Semidei, partim Dei, partim Homines. V. 63.

*Dei* Notitia naturalis Paganorum. VI. 18.

*Deorum* omnium Nomina ſuſtinet Iupiter. V. 41. 42. omnium Nominibus addebatur Pater. V. 25.

*Deorum* & Semideorum Differentia. V. 63.

*Deum* unum agnoverunt Pagani. V. 15. 16. 54.

*Deus* Paganis quævis Res creata, totus Mundus. V. 26. Germanis Hercules, Iſis. V. 46. Iupiter. V. 47. Luna. V. 45. VI. 47. Mars. V. 46. 47. Mercurius. V. 46. 47. Saturnus, Sol, Venus. V. 47.

*Deus* peregrinus Sabazius. V. 49.

*Dionyſius* Sabazius, Bacchus. V. 57. 58.

*Ducatus* Sileſiorum Bregenſis, Glogovienſis, Grotkovienſis, Lignicenſis, Monſterbergenſis, Oppolienſis, Oſuentienſis, Teſchinenſis, Vratislavienſis, fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus: Iavorenſis & Suidnicenſis fit Carolo IV. Bohemorum Regi ſubjectus: Troppavienſis ab Ottocaro Bohemorum Rege occupatur. VII. 1.

E.

*E* pro ER X. 12. pro EU antiquis Germanis adhibetur. II. 24.

*Elſa* Sileſiæ Fluvius. IV. 1. 2.

*Elyſiæ* Valles. X. 7.

*Elyſer* antiquis Germanis Erlœſer. X. 17.

*Elyſii* Lygii. I. 1. Sileſii. IX. 1. 2. Hebræis divinitus beati. X. 2. Græcis Advenæ.

venæ. X. 5. 6. patriâ Linguâ Elyſer, Erlœſer, Liberatores. X. 17.

*Elyſiorum* Nominis Origo Germanica demonſtratur. X. 9.

*Elyſis* Græcis Adventus. X. 6.

*Elyſium*, Locus Animarum â Corporibus ſeparatarum beatus. X. 6. 7. Nemus, Beatorum Inſula, Piorum Mundus. X. 7.

*Elyſius* Campus. X. 7.

*Equeſtrium* Ludorum, Haſtiludiorum, Torneamentorum Leges. XI. 9. Scriptores XI. 11.

*Ethnicis* naturalis Deus Iupiter. V. 43.

*E U* pro U antiquis Germanis adhibetur. II. 25.

F.

*Feroces* Latinis fortes. VIII. 20. 21.

*Franci* Germanis Liberi. VIII. 12.

*Frigidus* Iupiter. V. 38.

*Frucht* veteribus Germanis Furcht. X. 22.

*Furſt* iisdem Fruſt. X. 22.

G.

*Gentiles* quinam. V. 12.

*Gentilitas* quid. V. 12.

*Germani* Poſſeſſores Sileſiæ primi. I. 1.

*Germaniæ* antiquæ Terminus Viſtula Fluvius. II. 2. Porta Sileſia. II. 2. Cluſa Sileſia. II. 5.

*Germanis* Paganis Deus Hercules. V. 46. Iupiter. V. 44. Mars, Mercurius, Sol, Vulcanus. V. 45. Dea Iſis. V. 46. Venus. V. 45.

*Glogovia* Sileſiæ Urbs jam Anno 1005. V. 11.

*Glogovienſis* & Grotkovienſis Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

H.

*Hercules* Germanis Paganis Deus. V. 46.

*Hibernus* Iupiter. V. 38.

*Hireus* pro Hiereus. V. 23.

*Humidus* Iupiter. V. 38.

I.

*Iacchus* Bacchus. V. 59.

*Iah* Hebræis Iehova. V. 24.

*Iao* Paganis Iehova. V. 24. ſupremus Deus. V. 24. 38.

*Iavorenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Iehova* Zebaoth, Sabaoth. V. 48. veteribus quibusdam Chriſtianis Iupiter dicitur. V. 29.

*Imperator* Iupiter. V. 39.

*Infernus* Iupiter, Pluto. V. 41.

*Inventor* Iupiter. V. 39.

*Iouglans*, Iovis Glans, Iuglans. V. 27.

*Iovis* pro Iupiter. V. 26.

*Ioves* cur adeo multi. V. 42.

*Iſis* Germanis antiquis Dea. V. 46.

*Iupiter* unde Nomen habeat. V. 14. â Iehova. V. 21. 25. 27. 28. Iuvans Pater. V. 19. omnis Res creata, Natura tota. V. 36. â Diis reliquis Solo Nomine diverſus. V. 42. Paganis omnibus Deus. V. 14. vel ſolus, vel primarius Deus. V. 18. 19. unicus & æternus Deus. V. 31. omnium Rerum Conditor, Servator, Dominus. V. 32.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0095-4

omnium Rerum Principium & Finis. V.31. omnia in omnibus. V.34.

*Iupiter* unus habet Cognomen multiplex. V.37. 38. Æquoreus, id eſt, Neptunus. V.41. Capitolinus. V 40. Cuſtos. V. 39. Frigidus, Hibernus, Humidus. V.38. Imperator. V. 39. Infernus, id eſt, Pluto. V.41. Inventor. V.39. Latialis, Latius. V.40. Niger, id eſt, Pluto. V. 41. Olympius. V.40. Optimus Maximus. V.39. Pluvius. V. 38. Servator, Stator. V.39. Stratius, id eſt, Mars: Stygius, id eſt, Pluto. V. 41. Tarpejus. V.40. Tonans. V.38. Tartareus, id eſt, Pluto. V.41. Turbidus, Vernus. V.38. Victor, Ultor. V.39.

K.

*Klutz* Polonis Clavis. II. 10. 14. 15.

L.

*Lignicenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Ludorum* Equeſtrium, Haſtiludiorum, Torneamentorum Leges. XI. 9. Scriptores. XI. 11.

*Luiticii* Luſati. V. 11.

*Luna* Germanis Paganis Dea. V. 45. 47.

*Luſati* Luiticii. V. 11.

*Lygii* aliis Ligyi, aliis Ligii. IX. 3. habent Nomen Ortu Germanicum. IX.5. Lyger, id eſt, Iacentes, Permanentes. IX. 9. Germani, Suevi, Sileſii. I. 1. IX. 1.

*Lyſii* Sileſii. I. 3.

*Lyſitæ* Sileſii. I.4.

M.

*Mars* Germanis Paganis Deus. V. 46. 47.

*Mercurius* iisdem Deus: Ibidem.

*Moneſtrum* antiquis Monſtrum. V. 23.

*Mons* Sileſiæ Sabothus, Zabothus. V. 1. 53. Silenus. V. 72.

*Monſterbergenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Monſtrum* antiquis Moneſtrum. V. 23.

*Mundus* totus Paganis Deus. V. 36 37. Piorum, Campus Elyſius. X. 7.

N.

*Naturalis* Res quæque Paganis Iupiter. V.36.37.

*Neptunus*, Iupiter æquoreus. V.41.

*Niger* Iupiter, Pluto. V. 41.

*Nimicium* Sileſiæ jam, Anno 1005, Oppidum. V.11.

*Nomen* Sileſiorum an demum Anno aut 1109, aut 1158, ſit ortum. VI. 2. 4. quando ſit ortum. XI.1.

*Nox* cur Bacchi Sacris ſerviat. V. 79.

*Nyctelia*, Bacchi Sacra nocturna. V.78.

*Nyctelius* Bacchus. V.78.

O.

*OE* Germanis recentioribus, antiquis Y. X. 14.

*Olſa*, Olſcha Sileſiæ Fluvius. IV. 2.

*Olsnenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

ON

*ON* pro EN antiquis Germanis. VIII. 10.

*Onophagia* Sileſiacæ duplex Origo. V. 73. 74.

*Oppolienſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Ors* antiquis Germanis Ros. X. 22.

*Oſuentientienſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*O U* Latinis antiquis pro U. V. 27.

P.

*Pagus* Latinis antiquis Regio. V. 76. Silenſis, Sileſia. V. 76. 77. 78.

*Pater* addebatur omnibus Deorum Nominibus. V. 25.

*Pluto*, Iupiter Infernus, Niger, Tartareus, Stygius. V. 41.

*Pluvius* Iupiter. V. 38.

*Poloni* Polenii. VI. 5.

*Polonia* Polenia. XI. 12. Sileſia. VI. 3. 5.

*Poloniæ* Diviſio in Provincias prima. XI. 4. ſecunda. XI. 13. tertia. XI. 14.

*Polonis* Voievodus Palatinus. XI. 4.

*Populares* Dii omnes Paganis, excepto Iove. V. 43.

Q.

*Quad* Germanis veteribus dicebat. VIII. 6.

*Quadi* Slavis Squadi. X. 25. Germani, Suevi, Sileſii. I. 1. VIII. 1. XI. 1. Facundi. VIII. 2. 13. Iracundi. VIII. 14.

*Quado* Germanis veteribus Dico. VIII. 2.

*Quadus* iisdem malus, noxius, pravus. VIII. 14. iracundus. VIII. 16.

*Quæd* iisdem dicebat. VIII. 6. Malum, id eſt, noxium. VIII. 14.

R.

*R* antiquis Germanis omiſſum in prima Vocabuli Syllaba. X. 12. 13. in Fine Vocis. X. 11.

*Raft* iisdem Straft. X. 22.

*Ratiborenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Repentium*, Bohemicè Sleſitarum Nomen cur Sileſiis impoſitum. VII. 2.

S.

*S* mutatur in C. II. 11. in Z. I. 16. II. 12. 13. 17.

*Sabadius* Iupiter. V. 50. 52. Sanctus. V. 51.

*Sabazius*, Bacchus. V. 58. Deus peregrinus. V. 49. Dionyſius. V. 57. Iupiter. V. 49.

*Sabothus*, Zabothus, Sileſiæ Mons. V. 1. 6. 7. unde Nomen acceperit. V. 8. Hebræum. V. 53. Latinum, Silentius. V. 80. 81. Silenus. V. 72. Silenenſis, Silenſis. V. 75. Mons Animæ, Silensberg, Silesberg. V. 86. Silens, Silenſis. V. 85. non procul â Nimicio ſitus. V. 11. Sileſiorum Paganorum Sacris applicatus. V. 12. Videatur Zabothus.

*Saturnus*, Germanis Paganis Deus. V. 47.

*Satyri* Semidei. V. 64. Iuvenes. V. 65. Senes Cognomento Sileni. V. 65.

*Sebadius* Iupiter. V.50.52.

*Sebazius* Iupiter. V. 52.

*Semidei* Dæmones. V. 65. Satyri. V.64.Sileni.V.65.

*Semideorum* & Deorum Diſcrimen. V. 62.

*Servator* Iupiter. V.39.

*Sibylla* Delphica quando vixerit. V. 15.

*Sibyllarum* Scripta ſuppoſititia. V. 15.

*Sile*, Siele, Syle Germanis Schleſa, Schleuſa, Sleſa, Sluſa. II. 29.

*Silenſis* Pagus Sileſia. V.76.

*Silentius* Sileſiæ Mons Sabothus. V. 80.81.82.

*Silenus* Bacchi Comes. V.61. Educator, Nutritor. V. 68. deformis. V. 67. Eques Aſino inſidens. V.70. Sapiens.V.65.Satyrus.V.64. Semideus. V. 63. Senex. V. 65. Senex ebrius. V. 70.

*Sileſia* Slavice Sliſema. III.3. Germaniæ Clauſtrum. II. 3. Clavis. II. 14. Cluſa. II. 5. Porta. II. 2. Sluſa. II. 6. 8. olim Polonia dicta. VI. 3. 5.

*Sileſiæ* Fluvius Elſa. IV. 1. 2. 3 4. Mons Sabothus. VI. Solum. III. 1. 2 3. Terminus quondam Viſtula Fluvius. II. 11. jam, quodam Spatio excepto, Viadrus. II. 2. primis Temporibus Incolæ Germani, Suevi, Quadi. VIII. 1. XI. 1. Lygii, Elyſii: IX. 1.

*Sileſii* Latinis Scriptoribus Lyſii. I.3.Lyſitæ. I.4.Schleſii. I. 5. Schleſingi. I. 6. Schleſitæ. I. 7. Scleſii. I. 8. Scleſitæ.I.9.Seleuci. I. 10. Sileſiani. I. 11.Sileſiatæ. I. 12. Sileſitæ, I. 13.Siluſi. I.14. Siusli. I.15. Sleſaci.I.16. Sleſicii.I. 17.Sleſii.I. 18. Sleſitæ. I. 19. Sleſitani. I.20.Sleſizicii.I.21.Sleſſitæ. I.22. Slezaci.I. 23.Slezii. I. 24. Suiſoli. I. 25. Suſi. I.26. Syleſii. I. 27.Syleſitæ.28.Sylleſii. I.29.

*Sileſii* Germani, Suevi, Quadi, Lygii, Elyſii. I. 1. cur Bohemis Sleſitæ. VII. 2.3.4.5. cur Polonis Sleſaci. VI. 1. Bohemis conjuncti. VII. 1. Polonis conjuncti XI. 1. Slavis ſuperati, non exſtincti. XI. 1. Tartaris oppugnati. V.73.

*Sileſiis* Paganis Deus Iupiter. V. 44. 45. 48. Iupiter Sabazius, Bacchus, Sol. V. 61. Silenus, Bacchi Comes. V. 72 in Monte Sabotho cultus. V. 9.11. abjectâ Idololatriâ Chriſtianis, Aſinus Sileni devoratus, per Iocum dictus. V 73.

*Sileſiorum* Nomen quando ortum. XI. 1. poſt SlavosSileſiam, Anno 550, ingreſſos. XI. 4. â Sileſiæ Convenis. VI. 1. VII. 1. Fluvio Sleſo. IV. 1. Monte Sabotho. V. 1. Populo Elyſiis. X. 1 Lygiis. IX. 1. Quadis. VIII. 1. Solo. III. 1. Situ. III. non demum Sæculo XII, ſed jam Sæculo X. cognitum. XI. 6. 9. Onophagiæ duplex Origo. V.73.74.

*SL* pro SCHL antiquis Germanis. II. 17. 19. 20.

*Sla*, Sle, Sli, Slo, Slu habentes Voces an omnes Slavicæ. II. 18. 19. 20. 21.

*Slavi* unum coluerunt Deum, Mundi univerſi Dominum. V. 54.

*Sleſa* Sileſiæ Fluvius. IV. 3.

*Sleſitæ* cur Bohemis Sileſii. VII. 2. 4.

*Sleſius*

*Sleſus* Sileſiæ Fluvius. IV. 4.

*Slezaci* cur Polonis Sileſii. VI. 6. 7.

*Sluſa* Clauſa, Clauſula, Clauſura. II. 29. Clauſtrum. II. 7. Cluſa. II. 6.

*Sol* Germanis Paganis Bacchus. V. 51. Deus. V. 45. 47.

*Squadi* Slavis Quadi. X. 25.

*Stator* Iupiter. V. 39.

*Steinovienſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Stratius* [militaris] Iupiter, Mars. V. 41.

*Stygius* Iupiter, Pluto. V. 41.

*Suevi* Elyſii, Lygii, Quadi. I. 1.

*Suidnicenſis* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

T.

*Tarpejus* Iupiter, V. 40.

*Tartareus* Iupiter, Pluto. V. 41.

*Teſchinenſis.* Sileſiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus VII. 1.

*Tonans* Iupiter. V. 41.

*Triones* antiquis Teriones. X. 23.

*Troppavienſis* Sileſiorum Ducatus Ottocaro Bohemorum Regi per Vim occupatus. VII. 1.

*Turbidus* Iupiter. V. 38.

U.

*U* antiquis Germanis pro E. VIII. 9. in EU converſum. II. 24. pro I. II. 26. pro OU poſitum. V. 27.

*UN* iisdem pro EN. VIII. 7. 8.

*Vandali* Germani, non Vendi Slavi. IX. 7. Wandaler. IX. 8.

*Venus* Germanis Paganis Dea. V. 47.

*Vernus* Iupiter. V. 38.

*Victor* Iupiter. V. 39.

*Viſtula* Fluvius antiquæ Germaniæ Terminus. II. 2.

*Voievodus* Polonis Palatinus. XI. 4.

*Vratislavienſis* Capitaneus Magnus Comes. XI. 13. Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi ſubjectus. VII. 1.

*Vulcanus* Germanis Paganis Deus. V. 45.

Y.

*Y* Germanis antiquis pro OE. X. 14.

Z.

*Z* mutatum in S. I. 16. 18. II. 13. V. 6.

*Zabothus* Sileſiæ Mons. V. 1. Zobtenſis, Zotenſis, Zothenſis, Zottenſis. V. 3. 4. 5. Vidoatur Sabothus.

*Zle* Slavis malus. III. 4. IV. 7 VIII. 22.

*Zotteln*, Ire: Mitzotteln, comitari: Nachzotteln, ſubſequi. V. 5.

*Zottenberga* Sileſiorum Arx. V. 4.

# ADDENDA & EMENDANDA.

*Pag. 12. Cap. II.* §. 13. *Lin. 7: pro*, §. VI. *fac*, §. IX.

*Pag. 18. Cap. III.* §. I *Lin. 2: pro*, exiſtimant, *fac*, exiſtimatur.

*Pag. 23. Cap. V.* §. 10. *Lin. 8: poſt*, Cap. II. *adde*, & V.

*Pag. 24. Cap. V* §. 13 *Lin. 5, pro*, quanto, *fac*, tanto. *Ibidem: pro*, tanto, *fac*, quanto.

*Pag. 27. Cap. V.* §. 27. *Lin. 10: poſt*, Plinius, *adde*, Lib.

*Pag. 31. Cap V.* §. 41. *Lin 3 pro*, Statius, *fac*, Stratius.

*Pag 33: Cap V.* §. 49. *Lin. 6: pro*, quidem, *fac*, quidam. *Ibidem Lin. 14: pro*, unquam, *fac*, nunquam.

*Pag 37. Cap. V.* §. 59. *Lin. 8: pro*, Iachus, *fac*, Iacchus.

*Pag. 41. Cap. V.* §. 64. *Lin. 36 poſt*, Statueris : *adde*: Sed Veritati magis reſpondet, Sileſios recens Chriſtianos, incertum, à quibus, Rem ſacram in ludicram convertentibus, primum Aſini devorati Reos habitos ob Silenum, quem, ut Bacchi, Plantarum omnium Autoris, perpetuum Comitem, antea coluerant, penitus rejectum, itaque ſimul ejus Aſinum exſtinctum, velut mactatum & devoratum.

*Pag. 44. Cap. V.* §. 81. *Lin. 6: pro*, Vechnerus, *fac*, Fechnerus.

*Pag. 47 Cap. VI.* §. 8. *Lin. I: poſt*, Hanc, *adde*, vero.

Pag. 48. Cap. VI. §. 9. Linea poſtrema: poſt, Nomen, adde: Ergo *Sileſii* ſub communi *Polonorum* Nomine latuerunt: quô Temporibus antiquis omnes Sarmatis Slavis Lechitis, quos Ætas noſtra Polonos nuncupat, ſubjecti Populi denotabantur? Igitur *Polonis Germanis*, hoc eſt, *Sileſiis*, propter *Convenas* in eorum Provincia conſpicuos, *Slezacorum* Nomen impoſuerunt *Sarmatici Poloni* demum circiter aut 1109, aut 1158 Annum?

*Pag. 49 Cap. VI.* §. 15. *Lin. 2: pro*, Anno 1001, *fac*, Anno 1000. *Ibidem, Lin 13: poſt*, conſecutum, *adde*, Lib. VII.

*Pag. 52. Cap. VIII.* §. 2. *Lin. 10: poſt*, Bibliotheca, *adde*, MStum.

*Pag. 54. Cap. VIII* §. 7. *Lin. 6: pro*, quamum, *fac*, quamun.

*Pag. 55. Cap. VIII* §. 8. *Lin. 13: pro*, XXII, *fac*, XXVII.

*Pag. 56. Cap. VIII.* §. 13. *Lin. 8: poſt*, Germanis, *dele*, ſunt.

*Pag. 57. Cap. VIII.* §. 22. *Lin 4: pro*, Partem maximam, *fac*, Partes alias. *Ibidem, Lin. 13: pro*, ZLESIOS, *fac*, ZLEZIOS.

*Pag. 61. Cap. X.* §. 4. *Lin. 2: pro*, Nomen, *fac*, Nomine ſuo, quod. *Ibidem, Lin. 4: pro*, transportatum, *fac*, transportaverint.

*Pag. 64. Cap. X.* §. 13. *Lin. 9: poſt*, ibidem, *dele*, Lib. II.

*Pag. 65. Cap. X.* §. 16. *Lin. 3: pro*, ERLTSER, *fac*, ELYSER.

*Pag. 68. Cap. XI.* §. 1. *Lin. 10: poſt*, annumerandam, *adde*, oſtendet.

*Pag. 74. Cap. XI.* §. 19. *Lin. 6: pro*, SILESIAS, *fac*, SILESIOS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0100-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0101-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0102-7

Ng 3393. 8°

ULB Halle 3
005 359 600

A. 5.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0103-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0104-9

# MARTINI HANKII
## DE
# SILESIORUM NOMINIBUS ANTIQUITATES.

*Additi ſunt tres INDICES.*

SIGILL. BIBLIOTHEC. UNIVERSIT. VRATISLAV. 1806

LIPSIÆ,

Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII,
Bibliopolæ Vratislavienſis:

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI,
M. DCCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-177992-p0105-5